A I a 89 f

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Ex libris [illegible] Seraphini [illegible] pro Bibliotheca S. M. [illegible]

DOCTRINA,

QVAM DE PRIMATV, AVTHORITATE, AC INFALLIBILITATE ROMANI PONTIFICIS

TRADIDERUNT

LOVANIENSES S. THEOL. MAGISTRI, AC PROFESSORES,

Tam Veteres, quàm Recentiores propriis ipſorum Verbis, ac Probationibus expreſſa

Declarationi Cleri Gallicani de Eccleſiaſtica Poteſtate nuper editæ

BIBLIOTECA NAZ. [illegible]

OPPOSITA

Per D. A. A. S. Theol. Profeſſorem.

LEODII,
Apud HENRICUM HOYOUX,
ANNO 1682.

Ex libris [illegible] pro Bibliotheca [illegible]

DOCTRINA,
QVAM DE PRIMATV, AVTHORITATE, AC INFALLIBILITATE ROMANI PONTIFICIS

TRADIDERUNT

LOVANIENSES S. THEOL. MAGISTRI, AC PROFESSORES,

Tam Veteres, quàm Recentiores propriis ipſorum Verbis, ac Probationibus expreſſa

Declarationi Cleri Gallicani de Eccleſiaſtica Poteſtate nuper editæ

ROMA

OPPOSITA

Per D. A. A. S. Theol. Profeſſorem.

LEODII,
Apud HENRICUM HOYOUX,
ANNO 1682.

LECTORI BENEVOLO,

S.

A Poſtolicum Romæ Cathedræ ſuper Vniverſas Chriſtiani Orbis Eccleſias Primatum, & Principatum, firmamque, ac infallibilem tam in Fidei, quàm morum definiendis dogmatibus authoritatem, adeo conſtanti veneratione ac obſervantiâ jam inde à prima Eccleſiæ ætate coluit antiquitas, ut non ſoli legitimi ejus filii, illam ſemper paribus votis ac vocibus deprædicaverint, verùm etiam, qui à Fide Chriſti defecerant, & fabricatis à ſe erroribus Eccleſiam corrumpere ſtudebant, quo his robur ac ſtabilimen adſciſcerent, Romani Pontificis judicium (quod irrefragabile noverant, ac immobile) multo labore, ſtudio & artificio enixè exquirebant. Ita profanus cum ſuis Pythoniſſis Montanus, eum in finem, ſolemnem è Phrygia Romam versùs deſtinavit legationem. Euſebiana Arianorum factio, ejuſque Conventiculum, Iulii Papæ cenſuræ ſe, & ſua ſubmiſit omnia. Pelagiani quoties ad Petri Succeſſorem recurrerint, notius eſt, quàm ut enarrare oporteat. Horum Epiſcopos hæreſiarcha Neſtorius, Italiâ ejectos repulit, ipſorum querimonias, & ad Generale Concilium provocationem ad Cœleſtinum Pontificem retulit. Eutyches ſuper damnatis ſuis per S. Flavianum, ejuſdemque Synodum Conſtantinopolitanam erroribus faventem à Magno Leone Papa ſententiam obtinere laboravit, uti & ab Honorio Monothelitæ. Quid plura? Vnum S. Cyprianum audiiſſe ſufficerit: qui de quinque Præsbyteris ſchiſmaticis, de factione Feliciſſimi monet S. Cornelium Papam, Epiſt. 55. Poſt iſta adhuc, inſuper Pſeudo-Epiſcopo ſibi ab hæreticis conſtituto, navigare audent, & ad Petri Cathedram, atque ad Eccleſiam principalem, unde unitas Sacerdotalis exorta eſt, à Schiſmaticis, & Profanis Litteras ferre; nec cogitant, eos eſſe Romanos, quorum Fides, Apoſtolo prædicante, laudata eſt, ad quos perfidia non poſſit habere acceſſum. *Hujus animi erga Sanctam Petri Sedem erant priorum temporum hæretici.*

Circumſpice nunc circumſtrepentes modernarum Sectarum turbas, quibus premimur, longè eis alia mens, alia conſilia. Non niſi hæreditarium odium ineſt in illum Chriſti Vicarium, Chriſtianorum Patrem, & Paſtorem. Fœdiſſimis illis Hæreſum peſtibus, quæ Waldenſium, Wickleſiſtarum, Huſſitarum, Lutheranorum, Zuinglianorum, Sacramentariorum, Calviniſtarum, Confeſſioniſtarum, Proteſtantium, Puritanorum, Anabaptiſtarum, Menoniſtarum, Bruniſtarum, Gommariſtarum, Arminianorum, ſimiliumque monſtrorum Titulis infames ſunt, iſtud pro capitale lege eſt conſtitutum, infeſtis ſignis, junctiſque viribus in Romanum Pontificem irruere. O nexu rei! Atrociſſimis inter ſe ſtylis omnes iſti concurrunt & deſæviunt, aſiduis pugnis implicantur, implacabiles ſibi invicem hoſtes ſunt, ac in alterum exitium armatæ, mutuis ſe vulneribus concidere non ceſſant, in hoc unum tamen cuncti ultro conſpirant, ut Principem S. Petri Cathedram funditus evertant, ipſiuſque Succeſſorem, Romanum Pontificem dejiciant. Quid mirum, cum in Eccleſiam pugnent, ſi eorum nullus poſſit cum Eccleſiæ Capite convenire? Neceſſe illis, aut fateri, juſto ſe judicio de Catholicis expunctos: aut in ipſum Iudicem erigi, qui expunxit. Sciunt, ſtante illo,

ſe-

ſe ſtare non poſſe ; ſe hæreticos iis fore, quibus ille Paſtor, & Pater erit. Vident, nihil ſe proficere, nihil agere, & nec ipſis quidem inferorum portis ſtipatos unquam prævalituros, attamen, vel inde non poſſunt non plurimùm exultare, invicem congratulari, ampliùſque ſuperbire, quod ſibi haud modicum ſentiant accreſcere robur, non ab infima jam aliqua, ac indocta plebe, ſed ab ipſis plebis Paſtoribus, & Doctoribus. Quibus tacitè applaudunt, quando depromptis ex ſuo ipſorum armamentario, rationum, argumentorumque machinis eiſdem, quibus iſti nituntur, Apoſtolicam Sedem labefactare, Summum Univerſæ Eccleſiæ Pontificem & Principem dignitate Primatûs, Divinâ ei ordinatione conſtituti, exuere, ſupremâ poteſtate mulctare, & Conciliis ſubjicere ſatagunt. Hæret profectò attonitus, omnis ſub Cælo Chriſtianus Orbis ad inopinum quorumdam Articulorum conſpectum, qui nonnullorum è Gallicano Clero deputatorum nomine nuper evulgati circumferuntur.

Neutiquam eſt animus, contentioſâ eos lite verbare, vel pugnaci altercatione ad incudem redigere, aut invidioſâ diſceptatione refellere : ſed abſque ulla ullius injuria, cenſura & nota, Majorum duntaxat noſtrorum Doctrinam, cui & poſteri ſubſcripſerunt, propriis ipſorum verbis educere : ut & hinc appareat, non eſſe novitiam, quam veteres tradidere, nec ad inſultum importandum flagranti Marte procuſam : & illinc telis dudum confractis Petram quati, ſuper quam ædificata à Chriſto ſtat Eccleſia. At quinam illi, qualeſque Apoſtolicæ Sedis Athletæ? Non alii, quàm quos Abraham Bzovius tom. 15. Annal. Eccleſ. ad an. 1425. hocce Elogio donat : " Tanto ſtudio " Profeſſores Lovanienſes Theologiæ arcanis incubuerunt, ut nulli Univerſitati Primas " concedere voluerint in tractatione rerum Divinarum, præſertim contra hæreticos " controverſarum. In quibus, quod à ſolida, clara, & veridica Patrum Orthodoxo- " rum, & præcipuè S. S. Auguſtini, atque Thomæ Aquinatis doctrina, neque apertè, " neque per diſtortas, aut extortas commentationes diſceſſerunt, meruerunt perpetuò " audire, doctiſſimi, integerrimique Interpretes mentis Divinæ ; ac præterea for- " tiſſimi, invictiſſimi, feliciſſimi Propugnatores Fidei Catholicæ Romanæ Eccle- " ſiæ".

Proinde tantorum Heroüm Veſtigiis inſiſtere, & diſciplinæ te fidenter committere ne dubites, Lector. Expende ſedulo ſingula, ſtudioſè rumina, utere in obſequium Fidei, & Apoſtolicæ Cuſtodiæ ejus reverentiam. Advertes, per hæc excludi, (*quod contra Gentes lib. 4. cap. 76. præſtruxit Doctor Angelicus*) quorumdam præſumptuoſum errorem, qui ſe ſubducere, nituntur ab obedientia, & ſubjectione Petri, Succeſſorem ejus Romanum Pontificem, Univerſalis Eccleſiæ Paſtorem non recognoſcentes.

ARTI-

ARTICULUS PRIMUS.

Specialis Prærogativa infallibilitatis immediatè, ac primariò promiſſa eſt à Chriſto Domino, ac etiam data Cathedræ S. Petri, adeoq́ & ejus Succeſſori, Romano Pontifici, ne erret in definiendis per ſe ſolum, ſine Concilio, ac proponendis Vniverſæ Eccleſiæ, Regulis Fidei, & morum. Atque ab ipſo, ut Capite, ac Supremo controverſiarum in iſta materia Iudice, ſpeciali Fidei Cuſtode, ac veritatis Magiſtro, ejuſq́ directione ac confirmatione accipiunt Patres in Oecumenicis Conciliis congregati, quod ſine errore recta decidant, ac determinent: eorum Sententiæ alioquin, & Decreta erroribus dignoſcuntur obnoxia.

THeologica Facultas Lovanienſis, quæ omnium Academiarum prima, perverſis aliquot ac impiis Martini Lutheri dogmatibus anno 1519. cenſuræ ſtigma inuſſerat, & quam paulò poſt imitata fuerat Colonienſis, denique & ſuam adjecerat anno 1521. Pariſienſis, ejuſdem ſeculi anno 44. die 6. Decemb. (quatuordecim nempe, & paulò plus, menſibus ante mortem Lutheri) juſſu Cæſareò Caroli V. Imperatoris edidit totos triginta duos Articulos, velut totidem amuleta ad imbuendos, præmuniendoſque populorum animos, contra ingruentem tunc hæreſeos peſtem, quæ Apoſtolicæ Sedis Primatum, vel maximè, ac ſupremam ejus ſuper omnem univerſìm Chriſti Eccleſiam certatim impetebat, Illos omnes recenſet Ruardus Tapperus ad calcem Tomi ſui primi ſub hoc titulo: *Confeſſio Catholica Academiæ Lovanienſis.*

Per eum, qui in ordine eſt Articulus vigeſimus ſecundus, ita ſtatuitur. *Firmâ ſide tenendum eſt, unam eſſe in terris veram, atque Catholicam Chriſti Eccleſiam, eamq; viſibilem, quæ ab Apoſtolis fundata in hanc uſque noſtram ætatem perdurans, retinet & ſuſcipit, quidquid de fide, & Religione tradidit, tradit, & traditura eſt Cathedra Petri: ſuper quam ita à Chriſto ſponſo ſuo eſt ædificata, ut in his, quæ fidei ſunt, & Religionis, errare non poſſit.* Videlicet propter iſtius Cathedræ indefectibilitatem. Hæc igitur quidquid de fide ac religione tradit, non hæc ſolummodò, vel illa ſingularis aliqua, ſed Catholica, ſeu univerſalis Chriſti Eccleſia, etiam in Concilio congregata velut ab ipſo Chriſto dictatum accipit, retinet, atque obſervat. Art. 23. Ita. *Unus eſt Eccleſiæ ſummus Paſtor: cui omnes obedire tenentur; ad judicium, controverſiæ, quæ ſuper fide & Religione exiſtunt, ſunt referendæ.* Art. 24. ita. *Summam hanc Præpoſituram primus omnium geſſit Sanctus Petrus, verus Chriſti in terris Vicarius, & totius familiæ ejus Paſtor. Poſt Petrum verò ex Chriſti inſtitutione, omnes deinceps Pontifices, Petri in Cathedra Succeſſores.* Art. 25. ita. *Certâ fide tenenda ſunt, non ſolùm quæ Scripturis expreſsè ſunt prodita, ſed etiam quæ per Traditionem Eccleſiæ Catholicæ credenda accepimus, & quæ definita ſunt ſuper fidei, & morum negotiis, per Cathedram Petri, vel per Concilia generalia legitimè congregata.* Atque adeò certâ fide perinde credenda ſunt, quæcumque in fidei, morumvé materia fuerint definita, ſive per ſolam Cathedram Petri (quæ eſt Sedes Romana) ſine Concilio generali, ſive per ipſam unà cum Concilio generali legitimè congregato.

Id ipſum dudum ante, ſcil. an. 1519. fuſe docuit Jacobus Latomus, qui Lovanienſium Doctorum primus in Lutherum calamum ſtrinxit, toto Opuſculo, cui titulus *De Primatu Romani Pontificis adverſus Lutherum.* Ubi cap. 5. Cum ex variis veterum PP. Irenæi, Tertulliani, Cypriani, Hilarii, Hieronymi, Ambroſii, Auguſtini, teſtimoniis probare ſatagat Romanæ Sedis Primatum, & ſuper omnem Eccleſiam, ac Epiſcoporum Senatum irrefragabilem authoritatem, ab erroribus immunem, utpote, *quam*, juxta S. Auguſtinum in Pſal. cont. Partem Donati, *non vincunt ſuperbæ inferorum portæ*, Elucidandis S. Cypriani dictis potiſſimum incumbens, ait: " Chriſtum, tunc Petrum cæteris Apoſtolis præfeciſſe, cum dicitur, " *Paſce oves meas.* Hoc enim apertè indicant verba Cypriani de

uni-

" unitate Eccleſiæ dicentis. *Tamen, ut unitatem manifeſtaret, unitatis " ejus originem ab uno incipientem ſuâ authoritate diſpoſuit.* Intendens " alios Apoſtolos, non quidem honore & poteſtate prius acceptis " à Chriſto eſſe ſpoliatos, aut diminutos, ſed uni Petro ſubjectos, " atque hoc ideo Chriſtum feciſſe, dicit Cyprianus, ut Eccleſiæ " unitatem demonſtraret. Imò, ut verbis Cyprianis utar, ut uni" tatem, & ejus originem ab uno incipientem ſuâ authoritate di" ſponeret. Igitur Apoſtolos uni Petro, quoad regimen, juriſdi" ctionem, & adminiſtrationem ſubjecit. Et hoc fecit propter " unitatem Eccleſiæ. Subjecit enim orbem terrarum Senatui Apo" ſtolico, Apoſtolorum verò Senatum, Petro, hoc modo ſuper Pe" trum ædificans Eccleſiam ſuam. Quoniam autem Eccleſia in fi" nem uſque ſeculi eadem perſeverat; Apoſtoli autem peracto " vitæ præſentis curſu quieverunt, hinc eſt, quod authoritas Se" natus Apoſtolorum, ad Collegium devoluta eſt Epiſcoporum: " Petri verò Paſtoralis authoritas ad Succeſſores uſque ad præſen" tem Clementis Septimi Epiſcopatum continuata; ut totius Ec" cleſiæ unus ſit quodammodò Epiſcopatus, cujus, ut idem Cy" prianus inquit, à ſingulis Epiſcopis in ſolidum pars tenetur. Eſt " igitur Petrus, origo Sacerdotalis Authoritatis, & Eccleſiaſtici " Principatus, ſive unitatis Eccleſiaſticæ, non tantum in fieri, ſed " etiam in conſervari, & permanere: quia Petri authoritas ad Suc" ceſſorem tranſit. Et fortaſſe propterea Cyprianus Eccleſiæ ex" ordium à Petro incipiens comparat origini rivi à fonte, & radii " à ſole. Unde idem Cyprianus lib. 4. Epiſt. 8. quæ eſt ad Corne" lium Papam, Sedem Romanam, *Eccleſiæ Catholicæ Matricem, & Ra" dicem* appellat?

Per quæ refutatur ſiniſtra quorumdam interpretatio contendentium Eccleſiæ unitatem manifeſtari & fundari in unione illa, quæ fit in Concilio Generali: id quod S. Cypriani verbis, ſecundùm genuinam Latomi elucidationem apertè repugnat: ex quibus patet, propterea Eccleſiæ unitatem, & ejus originem à Chriſto diſpoſitam eſſe, non quia à generali aliqua Epiſcoporum congregatione inciperet, ſed *ab uno*, omnium capite, *unde unitatis origo, & exordium proficiſcitur, ut Eccleſia una monſtretur*, inquit Cyprianus: eo quod uni Petro, ejuſque Succeſſoribus ſit ſubjecta à Chriſto, qui

ei ſupremam poteſtatem ſuper univerſam Eccleſiam immediatè contulit; ut illius influxus in totum Eccleſiæ corpus derivetur. Hinc & ipſæ olim Synodales Epiſcoporum congregationes, *antiquæ Traditionis exempla ſervantes* ad Apoſtolicam Sedem prius referebant, quàm aliquid reſolverent, ipſamque conſulebant, ut ab illa diſcerent, & acciperent, quid probandum vel damnandum, quidve definiendum foret.

De quo legendus Latomus, qui cap. 3. p. 5. ſcribit: " Cyprianus aliquoties excuſat, quod non citò certiorem reddiderit Cornelium de actis in Africa. Item Auguſtinus, & Patres in Milevitano Concilio congregati adversùs Pelagium, antè concluſionem conſulunt Innocentium. Idem de Patribus Concilii Carthaginenſis, quibus reſcribens Innocentius, inter cætera dicit. *Inquirendis de his rebus, quas omni cum ſolicitudine decet à Sacerdotibus, maximè à vero, juſtoq; & Catholico tractari Concilio, antiquæ Traditionis exempla ſervantes, & Eccleſiaſticæ memores diſciplinæ, veſtræ Religionis vigorem, non minus, nunc in conſulendo, quàm antea, cum pronunciaretis, verâ ratione firmatis, qui ad noſtrum referendum approbaſtis eſſe judicium, ſcientes, quid Apoſtolicæ Sedi (cum omnes hoc loco poſiti, ipſum ſequi deſideremus Apoſtolum) debeatur, à quo ipſe Epiſcopatus, & tota authoritas hujus nominis emerſit: quem ſequentes, tam mala jam damnare novimus, quam probare laudanda: vel id verò quod Patrum inſtituta, Sacerdotali cuſtodientes officio, non cenſetis eſſe calcanda, quod illi non humanâ, ſed divinâ decrêvere ſententiâ, ut quidquid de disjunctis, remotiſq; Provinciis ageretur, non prius ducerent definiendum, niſi ad hujus Sedis notitiam pervenerit: ubi totâ hujus authoritate, juſta, quæ fuerit pronunciatio firmaretur, indeq; ſumerent cæteræ Eccleſiæ, velut de natali ſuo fonte aquæ cunctæ procederent, & per diverſas mundi regiones, puri capitis incorrupta manarent.* Similia reſpondet ad epiſtolam Patrum, inter quos erat Auguſtinus, in Concilio Milevitano congregatorum. Sed, & ipſe Cyprianus ſuam Synodum Epiſcopo Romano miſit, teſte Hieronymo in dialogo adverſus Luciferian. Ejus verba ſunt: *Conatus eſt Beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena: Et idcircò hæreticorum baptiſma reprobans, ad Stephanum, tunc Romanæ Vrbis Epiſcopum, qui à Beato Petro vigeſimus ſextus fuit, ſuper hac re Africanam Synodum direxit, ſed conatus ejus fruſtra fuit.*

Nec

" Nec valet, (ait idem Latomus, de variis quæſt. generibus ad " primum Lutheri paradox. poſt initium) ſi dicatur, Judicium " finale in rebus fidei, & Religionis eſſe apud generale, vel uni- " verſale Concilium. Quia non opus eſt Synodo ad alicujus novæ " hæreſis damnationem, ut apertè probant verba Auguſtini in fine " libri 4. contra duas Epiſtolas Pelagianor. ad Bonifacium, ubi " oſtendit paucas hæreſes damnatas à Synodis, & multò plures ſine " Synodis. Auguſtini verba ſunt: *Aut verò congregatione Synodi opus* " *erat, ut aperta pernicies damnaretur, quaſi nulla hæreſis, aliquando niſi Sy-* " *nodi congregatione damnata ſit, cum potiùs rariſſima inveniantur, propter* " *quas damnandas neceſsitas talis extiterit* &c. Ex iſtis verbis Augu- " ſtini clarè habetur, non opus eſſe Synodo generali vel univer- " ſali, pro aliqua hæreſi damnanda, imò neque Synodo particulari. " Secundò habetur, quod ſine Synodo fit plerumque contra hære- " ticos, & exercetur ſufficiens & competens judicium &c. Igitur " non ingrediendo difficultatem an Papa ſit ſupra Concilium, vel " è converſò" (qua de re vide hìc infra art. 2.) " Satis eſt præſenti " propoſito, quod hæreſis Lutherana nominatim in Articulis ſu- " pra nominatis à Sede Apoſtolica damnata ſit. Nemo enim niſi " nimiùm contentioſus, negabit Apoſtolicam Sedem, eſſe Judicem " competentem: cum ſit apertè, & pluribus locis, ſacris Canonibus " cautum, cauſas fidei ad Sedem Petri eſſe referendas. Ut cap. " *Quoties* 24. q. 1. & cap. *Majores* de Bapt. & ejus effectu". Deinde lib. 3. contra Tyndalum tit. finali) de authoritate, & Prælatura Romani Pontificis ſuper Eccleſiam, & quodlibet membrum ejus, ſic concludit. " Quibus benè perpenſis, apparet ſano intellectui, quod " non juſtè Romani Pontificis authoritati contradicatur, negando " eum eſſe Supremum, & Ordinarium Judicem omnium, & ſin- " gulorum Chriſtianorum, in fide, Sacramentis, & in iis omnibus, " quæ ad iſta pertinent". Hactenus Latomus.

Cui adſtipulatur Ruardus Tapperus ipſius Collega Magiſtralis in adipiſcenda ſimul Lovanii in S. Theol. laurea Doctorali 14. Aug. 1519. Qui deinde à Carolo V. Cæſare, & Philippo II. Rege Catholico miſſus ad Concilium Tridentinum teſte Reverendiſſ. D. Epiſcopo Lindano, præfat. in Oration. Theol. Ruardi Tapperi, " Ibi tantæ æſtimationis fuit, ac venerationis, ut ei ſelectus, & ho-

„ noratior fuerit in Synodalibus congreſſibus locus, ante omnes „ ſpectabilis, & nihil fermè neque in ſacros Canones, neque in „ Eccleſiaſtica decreta referretur, niſi ultimam ipſis manum adhi- „ buiſſet Ruardus, Decanus Lovanienſis". Hic Oratione Theol. 3 ita diſcurrit. " Neceſſarium eſt, Judicem eſſe, qui partibus auditis, „ & examinatâ causâ, ſententiam pronunciare poſſit, quæ doctri- „ na ſanctæ Fidei conſonet, & quæ adverſetur. Eſt autem con- „ ſtans, & conſentiens ab origine Chriſtianæ Religionis ſenten- „ tia, quòd hic Judex, eſt Pontifex Romanus, Chriſti in terris Vi- „ carius, & in Cathedra Petri Succeſſor, ut ante annos undecies „ centum Innocentius Papa ſcribit ad Patres Concilii Milevitani „ &c. Item B. Bernardus ſecutus concordem Eccleſiæ Catholicæ „ omnium Majorum ſuorum doctrinam in Epiſt. ad Innocent. „ *Oportet*, inquit, *referri ad Veſtrum Apoſtolatum quæq; pericula & ſcan-* „ *dala emergentia in regno Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dig-* „ *num namque arbitror, ibi potiſsimùm reſarciri damna, ubi non poteſt ſen-* „ *tire fides defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri* „ *aliquando dictum, Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua? Ergo* „ *quod ſequitur, à Petri Succeſſore exigitur. Et tu aliquando converſus con-* „ *firma fratres tuos.* Non enim fallit Chriſti promiſſio, Tu es Petrus „ &c. ſecundùm hanc enim Domini promiſſionem, ut ait D.Cy- „ rillus: *Eccleſia Petri Apoſtolica, ab omni ſeductionis hæreticæ circum-* „ *ventione manet immaculata, ſuper omnes Præpoſitos, & Epiſcopos, & Pri-* „ *mates Eccleſiarum & populorum, in ſuis Pontificibus in fide pleniſsima, &* „ *authoritate Petri* (*cum aliæ Eccleſiæ quorumdam errore ſint verecundatæ*) „ *ſtabilita inquaſſabiliter ipſa ſola regnat, ſilentium imponens, & omnium* „ *obturans ora hæreticorum.* Ita ut ad illam Sedem, tamquam ad „ Orthodoxæ veritatis Regulam ac Magiſtram, ſuboriente aliquo „ hæretici flatus turbine, ſit confugiendum, in qua ſola ſervatur, „ ut, inquit D. Hieronymus, incorrupta Patrum hæreditas, viva „ illa Apoſtolica Traditio, quam ab initio, ab ipſis Apoſtolorum „ Principibus, accepit Orthodoxa Catholicæ Eccleſiæ Fides. Et „ Concilium Alexandrinum, cui interfuit B. Athanaſius ad Feli- „ cem. *Veſtra Romana ſancta Sedes ſpeciali privilegio ſuper aliis, firma-* „ *mentum à Deo fixum, & immobile percepit. Ipſa enim eſt ſacer vertex, in* „ *quo omnes vertuntur, ſuſtentantur, revelantur. Tu es enim ſicut divinum*

„ *veraciter teſtatur eloquium, Petrus, & ſuper fundamentum tuum, Eccleſiæ*
„ *columnæ, id eſt, Epiſcopi, tibi ſunt confirmatæ. Tu prophanarum hæreſum*
„ *atque omnium infeſtantium Depoſitor, ut Princeps, & Doctor, Caputq;*
„ *omnium, Orthodoxæq; doctrinæ, & immaculatæ fidei exiſtis*".

" An autem hic falli poſſit in ſua ſententia, quando cognoſcit
„ circa fidem, & mores fidelium, ſicut Reges, & Epiſcopi in ſuis
„ judiciis, ab annis centum & quinquaginta cœptum eſt contro-
„ verti, & diſputari. A tempore enim Concilii Conſtantienſis, &
„ Baſilienſis, Doctores quidam apud ſolum Concilium œcumeni-
„ cum docent eſſe infallibilis ſententiæ privilegium. Veteres verò
„ Scriptores, Petro, totius familiæ Chriſti Præpoſito, & Romano
„ Pontifici, Supremo in terris poſt Petrum, Chriſti Vicario, ut
„ qui ſolus claves domus acceperit quodlibet ligandi ac ſolvendi,
„ ejuſque Cathedræ proprium eſſe hoc privilegium infallibilis
„ ſententiæ, concorditer ex Scripturis tradunt. Nominatim enim
„ de Sancto Petro, atque in ea Succeſſoribus ejus, verba Evange-
„ lii loquuntur, ut veriſimilius ſit eorum judicio, quod nec Con-
„ cilio Generali ipſum conveniat, niſi ratione Petri, ejuſque Ca-
„ thedræ authoritate, & quaſi commiſſione. Quod & ipſa Conci-
„ lia videntur agnoviſſe, etiam Nicænum, & alia tria prima, quæ
„ tamquam Evangelia ſemper venerata eſt Eccleſia Catholica.
„ Petiverunt enim approbationem ſuarum conſtitutionum à Ro-
„ mano Pontifice, prout eorumdem Conciliorum acta teſtantur".
Sine cujus approbatione conſenſu, ac confirmatione, Concilia etiam generalia in cauſis fidei, & morum, nec robur, nec authoritatem habere, ſed poſſe errare, imò & erraſſe liquet ex litteris Sancti Leonis 24. 25. & 26. ad Theodoſium & Pulcheriam datis, & ex geſtis Concilii Ariminenſis, Epheſini II. Chalcedonenſis, Conſtantinopolitani cujuſdam ſub Nicolao I. in Epiſt. ejuſd. ad Epiſcopos Orientis tom. 3. Concil. aliorumque. Unde & in tertia Synodo Romana, cap. 1. ſub Symmacho PP. dicitur, *Scripturam, quæ in noſtra congregatione vulgata eſt, nullis eam viribus ſubſiſtere, manifeſtum eſt, maximè, quia in ea nullus Præſul Sedis Apoſtolicæ interfuiſſe, vel propriâ ſubſcriptione firmaſſe monſtretur. Qui meritò B. Petri Apoſtoli, per univerſum Orbem Primatum obtinens Sacerdotii, ſtatutis Synodalibus conſuevit tribuere firmitatem.* Scribitque Phaſchalis, ut refertur cap. *Significaſti*

de electione, & electi poteſt. *Ajunt in Conciliis ſtatutum non inveniri, quaſi Romanæ Eccleſiæ legem Concilia ulla præfixerint: cum omnia Concilia per Romani Pontificis authoritatem, & facta ſint, & robur acceperint, & in eorum ſtatutis Romani Pontificis patenter excipiatur authoritas.* Siquidem, ut docet S. Thomas opuſc. contra impugnant. Relig. cap. 4. *Sancti Patres in Conciliis congregati nihil ſtatuere poſſunt niſi authoritate Romani Pontificis interveniente, ſine qua etiam nec Concilium congregari poteſt.* Et (ait 2. 2. q. 1. art. 10) *ad cujus authoritatem pertinet, finaliter determinare ea, quæ ſunt fidei, ut ab omnibus inconcuſſâ fide teneantur.*

Eſt proinde Romanus Pontifex, omnis & totius Concilii Caput, & Paſtor, ad illud dirigendum, & confirmandum ne erret, ejuſque judicium infallibile in rebus fidei & Religionis, adeoque *& irreformabile, etſi conſenſus Eccleſiæ non acceſſerit.* Cum ipſe immediatè à Chriſto acceperit poteſtatem paſcendi, regendi, & gubernandi univerſalem Eccleſiam, conſequenter & univerſale Concilium, tamquam illius Caput, quod influxum & motum non recipit à corpore, ſed è converſo. Igitur non ab Eccleſiæ corpore, & conſenſu poteſtas, ac infallibilitas Romani Pontificis dependet, ſed potius ab ipſo, totius Eccleſiæ corpus, fidei firmitatem, & confirmationem debet accipere. Romano autem Pontifici infallibile judicium convenit, ratione officii, & Cathedræ, in qua ſedet, & „ hoc propter promiſſiones eidem à Chriſto factas in Evangelio. „ Nam ſecundùm ſententiam B. Hieronymi, & perpetuam Ec„clefiæ obſervationem, hæretici habendi ſunt, qui à ſola Petri „ Cathedra damnantur. Ex qua tamen pronuntiare non debet, „ niſi adhibito, pro qualitate negotii, convenienti ſtudio, & dili„gentiâ, Sacerdotalique judicio eorum, qui in Apoſtolica Ca„thedra, unà cum ipſo, Domino miniſtrant, aut vicinorum etiam, „ & diſtantium Epiſcoporum, ſi quando rei difficultas & perplexi„tas, aut publica utilitas hoc ipſi Præſidi videbitur exigere. Sicut „ & ab initio ad hanc uſque diem, factum, & perpetuò obſerva„tum, univerſi teſtantur, & comprobant Scriptores Eccleſiaſtici. „ Non verò ſemper convocatis ex toto orbe, undequaque Sacer„dotibus, & Epiſcopis: quandoquidem id raro fieri poſſet. Ait „ enim B. Auguſtinus, quod hæreſes rariſſimæ inveniantur, propter quas damnandas neceſſitas talis extiterit".

Ruardo

Ruardo Tappero adhæret, quamvis promotione prior, Joannes Driedo, cui Adrianus Florentius, poſtea Pontifex ejus nominis VI. Lovanii Lauream Doctoralem contulit. Hic doctiſſimis ſcriptis à ſe editis ingruentes in Fidem Catholicam ſuo tempore hæreſes profligare ſtrenuiſſimè aggreſſus, lib. 4. de Eccleſiaſt. Scriptur. & dogmat. cap. 3. Par. 2. " Primum dicit. Quod omnes Apoſtoli „ acceperint à Chriſto, poſt Reſurrectionem, parem cum Petro „ poteſtam docendi Evangelium, facultatem æqualem baptizandi, „ & remittendi peccata, Joan. 20. Ipſe tamen Chriſtus, poſtea ex „ hoc mundo tranſiturus, ut unitatem Eccleſiæ (inquit Hierony- „ mus) ſignificaret, & obviaret occaſioni ſchiſmatis, præfecit Pe- „ trum Univerſalis Eccleſiæ Paſtorem, Joan. 21. volens, ut cæteri „ Apoſtoli hac poteſtate uterentur, tamquam membra manentia „ in unione Corporis Chriſti, & totius Fraternitatis Eccleſiæ, „ tamquam filii, & oves ſub Cathedra Petri. Dum Chriſtus dice- „ ret Petro præ cæteris, *Petre amas me? Paſce oves meas*, ipſe jam „ Petrus conſtituitur univerſalis Eccleſiæ Paſtor, cæteriſque Apo- „ ſtolis Prælatus eſt, & tunc ei Chriſtus dedit claves, quas ante „ Reſurrectionem ipſi promiſerat, dicens: *Tibi dabo claves regni cæ- „ lorum.* Unde & Petrum accepiſſe à Chriſto Primatum ſuper om- „ nes oves, & eſſe Epiſcopum Catholicæ, id eſt, Univerſalis Ec- „ cleſiæ, ex Scripturis ſacris intellexerunt omnes Eccleſiæ Patres, „ ab exordio primitivæ Eccleſiæ ad hæc uſque tempora, honoran- „ tes Cathedram Petri, ut Matricem, & Caput univerſalis Eccle- „ ſiæ. In exordio naſcentis Eccleſiæ, univerſi Africæ Epiſcopi, „ ſuper rebus quibuſdam dubiis, ſedem conſuluerunt Apoſtolicam, „ Petri Cathedram, quibus Evariſtus, à Petro quintus Romanæ „ Eccleſiæ Epiſcopus reſpondet ſimul, & commendat illos, quod „ prudenter fecerint ad Apoſtolicam Sedem, tanquam ad Caput „ confugientes. Scripturæ autem ſacræ, ex quibus præcipuè San- „ cti Patres ab initio ſemper intellexerunt Petrum à Chriſto or- „ dinatum fuiſſe Pontificem univerſalis Eccleſiæ, cæteriſque A- „ poſtolis Prælatum, ſunt hujuſmodi &c.

" Et ne videamur pro affectionibus noſtris velle ſententiam „ hanc defendere, operæ pretium eſt, oſtendere, Univerſam Eccle- „ ſiam Catholicam ex ſupradictis Scripturis, & aliis ſimilibus erga

„ Petrum tam geſtis ,quam dictis, ſemper intellexiſſe , quod Pe„ trus pro ſe, & ſuis Succeſſoribus acceperit à Chriſto univerſalis „ Eccleſiæ Primatum ; & quod verba, quibus claves regni cælo„ rum Chriſtus promiſit Petro, dicens, *Tibi dabo claves regni cælo„ rum*, verba item, quibus fecit illum univerſalis Eccleſiæ Paſto„ rem, dicens, *Paſce oves meas*, dicta ſunt non ſoli perſonæ Petri, „ ſed omnibus, qui Petro legitimâ ordinatione ſuccedunt. Erit „ autem hoc manifeſtum, ſi conſideremus, quod omnes ab initio „ Eccleſiaſtici Pontifices, Patres, Martyres , & univerſalis Eccle„ ſiæ Concilia honoraverunt Romanæ Eccleſiæ Pontificem , tam„ quam ſnpremum, & univerſalis Eccleſiæ Epiſcopum , ad quem „ ſuper anxiis rebus, quoties ratio fidei ventilatur , debeat haberi „ recurſus , Quemadmodum B. Innocentius docuit ante annos „ mille & centum ad Auguſtinum, cæteroſque Africanos ſcri„ bens, ſecundùm antiquæ Sedis regulam, toto ſemper ab orbe ſer„ vatam, cauſas fidei ad Petri Sedem debere referri. Et quod ille „ fuerit antiquus Eccleſiæ ſtatus , teſtantur Eccleſiaſtica geſta, & „ ſcripta Sanctorum Patrum ante Innocentium, ab exordio Chri„ ſtianæ Eccleſiæ, quibus manifeſtum eſt, Epiſcopum Romanæ „ Eccleſiæ, uſum fuiſſe ſui Primatus poteſtate ſuper Univerſum „ Orbem. Ab initio poſtquam conſtitutis diœceſibus, Petrus Ca„ thedram ſuam, Deo jubente,fixerat Romæ,omnes Epiſcopi, ubi„ vis gentium conſtituti fuerant in toto mundo , tam in Africa, „ quam in Aſia, & in Europa , etiam nonnullis Apoſtolis adhuc „ viventibus,honoraverunt Romanæ Eccleſiæ Cathedram , ut pri„ mam, ad quam in rebus fidei dubiis, aliiſque arduis univerſalis „ Eccleſiæ negotiis habebatur recurſus, ad quam & omnibus ſem„ per Epiſcopis licuit appellare". In quorum confirmationem adductis prolixè SS. Cyprani, Chryſoſtomi, Auguſtini, Hieronymi, Ambroſii, adhæc & Anacleti, Evariſti, Alexandri, Marcelli, Concilii Chalcedonenſis, Gregorii, aliorumque plurium teſtimoniis, ſubjicit pro coronide hanc ex S. Bernardi Epiſt. 131. Parœmiam. "*Plenitudo poteſtatis ſuper Vniverſas Orbis Eccleſias ſingu„ lari prærogativâ Apoſtolicæ Sedi donata eſt*".

Deinde parte tertiâ ejuſdem Capitis pergens ad demonſtrandam Romani Pontificis infallibilitatem, ſeu indefectibilitatem in defi-

definiendis cauſis fidei ac Religionis, præmittit verba Chriſti Domini dicentis Petro. *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Et iterum: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam.* Et ſubdit. " Operæ pretium ,, eſt conſiderare, quod ex hujuſmodi Scripturis firmiter tenen- ,, dum eſt, & nullatenus dubitandum, Chriſtum, & fidem Petri, ,, numquam deficere ab Eccleſia Petri, ab Epiſcopatu Petri, à Ca- ,, thedra Petri, uſque in conſummationem ſeculi". Accipiendo illam quoque juxta tertium intellectum præfatorum verborum, ſc. " Ut fides non deficiat unquam à propriâ Sede, vel Diœceſi, ,, quam Petrus peculiariter paſcendam, dirigendam, & gubernan- ,, dam ſuſcepit, quam ſecundùm SS. Patres conſtat eſſe Roma- ,, nam, in qua ipſe, ut Vicarius Chriſti ſedens, vel alius aliquis le- ,, gitimus ejus Succeſſor, numquam docere, vel definire pro tota ,, Eccleſia, tamquam Supremus ejus Paſtor quippiam poſſit, fidei, ,, vel Religioni repugnans. "Id, quod ibi latè proſequutus", ut ,, aſcendamus, ait à noviſſimis, audiamus ſuper hoc Venerabilis ,, Bernardi ſententiam, ante quadringentos annos contra errores ,, Petri Abbaillardi in Epiſt. 19. ad Innocentium Papam. *Oportet,* ,, inquit, *ad Veſtrum Apoſtolatum referri pericula quæq;, & ſcandala in* ,, *regno Dei, ea præſertim, quæ de fide contingunt. Dignum namque arbi-* ,, *tror, ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, ubi non poſſit fides ſentire de-* ,, *fectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri, aliquando* ,, *dictum eſt, Ego pro tè rogavi Petre, ut non deficiat fides tua? Ergo, quod* ,, *ſequitur, à Petri Succeſſore exigitur. Et tu aliquando converſus confirma* ,, *fratres tuos.* Hæc ille. Ex cujus ſententia conſequens eſt, ver- ,, bum Salvatoris exponendum eſſe de fide in Sede Petri tamquam ,, diſtincta ab aliis Sedibus. Et hanc Bernardi ſententiam jam ,, longè ante intellexit Cyprianus &c. Sic verba Chriſti ad Pe- ,, trum dicta, accipienda ſunt, ut intelligantur dicta, non Petro ,, ſoli, ut privatæ perſonæ, ſed ut futuro Univerſalis Eccleſiæ ,, Paſtori. Et ideo quod Petro promittitur, Dignitati Cathedræ ,, Petri promittitur. Proinde & intelligitur promiſſum omnibus, ,, qui Petro, in Dignitate Paſtorali ſuccedunt, cum in Petro, in- ,, telligantur & ipſe, & omnes Succeſſores illius.

,, Rurſus intelliguntur de fide, permanſura, non apud perſonam

„ Petri, & Succeſſorum illius, ſed apud Sedem, Dignitatem, Pa-
„ ſtoralem, Cathedram, ſeu Eccleſiam Petri. Sic ſenſus erit, ut
„ non deficiat fides tua, id eſt, ut non prorſus pereat fides à Sede
„ tua, à Cathedra tua, intelligendo Sedem, Cathedram, ſeu Eccle-
„ ſiam non ſolùm univerſaliter, ſed ſpecialiter, futuram ad curam
„ Petri, & Succeſſorum illius. Quo fit, ut verba Chriſti, dicta
„ Petro, ex conſequenti intelligantur dicta Romanæ Sedi, cui
„ præſidet Epiſcopus, qui Petro legitimâ electione ſuccedit.
„ Talem ſiquidem intelligentiam habuerunt, Cyprianus, Bernar-
„ dus cæterique Patres, ex eadem doctrina Salvatoris arbitrantes,
„ apud Eccleſiam Romanam, Fidem non perituram uſque in con-
„ ſummationem ſeculi. In Romana Sede hactenus, nullus ſedit
„ hæreſiarcha, qui docendo definierit aliquid fidei noſtræ repug-
„ nans. Neque hæreſis ulla ſumpſit illinc initium, ſed mos ibi
„ ſervatur antiquus. Defecit Hieroſolymitana Eccleſia, cui Ja-
„ cobus præſedit. Defecit Achaia, ubi Andreas: Aſia, ubi Joan-
„ nes: India, ubi Thomas: Perſis, ubi Judas: Æthiopia, ubi Mat-
„ thæus: Græcia, ubi Paulus. Romana Sedes hactenus manet in
„ fide Chriſti recta.

„ Ad aliud Argumentum, quo dicitur: Verba Chriſti ad Pe-
„ trum ſunt dicta illi, non ut privato homini, ſed ut gerenti figu-
„ ram Eccleſiæ. Reſpondeo. Quæ Auguſtinus ſuper cap. ult. Joan.
„ dicit: Petrum *ſignificaſſe Univerſam Eccleſiam*, quando Chriſtus
„ dixit ei: *Tu es Petrus*, &, *Tibi dabo claves &c.* hæc accipienda ſunt,
„ quod verba illa non ſunt dicta Petro, pro ſe ſolo, aut tamquam
„ privatæ perſonæ, ſed tamquam futuro Paſtori Univerſalis Ec-
„ cleſiæ: ut intelligatur promiſſio facta ipſi Eccleſiæ" (ſeu pro
„ Eccleſia) " quæ claves regni cælorum acceptura erat in Petro,
„ & in omnibus Succeſſoribus ejus. Unde & ipſe Auguſtinus ibi-
„ dem ſuam explicans ſententiam, ait. *Cujus Eccleſiæ Petrus Apoſto-
„ lus, propter Apoſtolatus ſui primatum gerebat figuratâ generalitate perſo-
nam*", ut promiſſum ac ordinatum Univerſæ Eccleſiæ, ſeu totius
Eccleſiaſtici corporis Caput, cui ſi quid tribuitur propter corpus,
& ipſi etiam corpori cenſetur contribui. " Nam Auguſtinus in-
„ tendebat, non quod Chriſtus clavium poteſtatem immediatè
„ dederit Eccleſiæ, & quod Petrus hanc poteſtatem acceperit ab

Eccle-

„ Eccleſia, ſed quod poteſtas illa fuerit data Petro, non pro ſua „ illius perſona, ſed pro Eccleſia, & ita eamdem poteſtatem eſſe „ datam Eccleſiæ in Petro, & in omnibus, qui ipſi Petro Vicariâ „ ordinatione ſuccedunt. Eccleſia enim dicitur accipere id, quod „ miniſter pro ejus utilitate accepit. Claves datæ ſunt Eccleſiæ, „ quia datæ ſunt Petro, qui datus eſt Paſtor Eccleſiæ". Quemadmodum de poteſtate confirmandi in fide,& paſcendi tam agnos, quam oves,eſt perſpicuum; quod illa data ſit immediatè Capiti,& Paſtori,non corpori, nec ovili,ſed in uſum tamen corporis, & ovilis. Non enim ſeipſum regit,& dirigit corpus, ſed à capite regitur & dirigitur, ne vacillet vel exerret, & à Paſtore paſcuntur, foventur, & contra lupos cuſtodiuntur, & proteguntur oves & agni omnes. Ideoque *de toto mundo unus Petrus eligitur* (verba ſunt Leonis Magni ſerm. 3. in anniverſ. ſuæ Aſſumption.) *qui & univerſarum gentium vocationi, & omnibus Apoſtolis, cunctiſq; Eccleſiæ Patribus præponatur: ut quamvis in populo Dei multi Sacerdotes ſint, multiq; Paſtores, omnes tamen propriè regat Petrus, quos principaliter regit & Chriſtus.*

Driedoni, aliiſque duobus prænominatis,quorum omnium inopinatus obitus finem Concilii Tridentini antevertit, jungendi veniunt Eximii Apoſtolicæ Authoritatis Propugnatores duo. Primus eſt, Judocus Raveſteyn Tiletanus, per Superiorem æquè ac Inferiorem Germaniam celebris,qui juſſu Caroli V. tum ad Tridentinum Concilium, tum ad Wormatienſe colloquium deſtinatus, ante omnes alios, & ſolus, Flacci Illyrici, Miniſtrorumque Confeſſionis Auguſtanæ, qui in Urbem Antuerpienſem irrepſerant, impia dogmata ſcripto confutavit. Hic in *Apologia ſeu defenſione pro Decretis ſacro-ſancti Concilii Tridentini, adverſus cenſuras & examen Martini Kemnitii*, ad eam partem Canonis tertii de Baptiſmo, in qua Patres Tridentini profitentur. " *Eccleſiam Romanam, omnium* „ *Eccleſiarum Matrem eſſe, & Magiſtram*, probè advertit. Non hoc „ primi ſtatuunt, & decernunt Tridentini Patres, ſed, quod in „ Eccleſia Catholica certum, & pro confeſſo haberi ſciebant, id „ adverſus novitiam, & pernicioſam Lutheri doctrinam, pro de„ fenſione Catholicæ doctrinæ propoſuerunt, quod alibi Catho„ lici Scriptores in ſuis contra Lutherum ſcriptis copioſè & ſo„ lidè demonſtraverunt, & comprobaverunt. Celebris eſt in pri-

„ mis in Catholica Eccleſia præclara antiquiſſimi Scriptoris Cy-„ priani ſententia Epiſt. 8. lib. 4. Similiter & Martyris Irenæi, „ lib. 3. cont. Hæreſ. cap. 3. dicentis: *Ad Romanam Eccleſiam, propter* „ *potentiorem Principalitatem, neceſſe eſt, omnem convenire Eccleſiam, &* „ *omnes, qui ſunt undique fideles, in qua ſemper conſervata eſt ea, quæ eſt* „ *ab Apoſtolis, traditio.* Æquè celebris eſt Tertulliani ſententia de „ præſcript. celebratur quoque præclara illa Athanaſii cum Epiſ-„ copis Ægypti profeſſio ad Liberium Papam Romanum. *Vni-* „ *ſalis Eccleſiæ vobis à Chriſto eſt commiſſa cura, ut pro omnibus laboretis,* „ *& cunctis opem ferre non negligatis.* Et rurſus ad Marcum Pontifi-„ cem, Epiſcopi Ægypti. *Sancta Romana Eccleſia ſemper immaculata* „ *permanſit, & Domino providente, & Beato Petro Apoſtolo opem ferente,* „ *in futuro manebit, & ſine ulla hæreticorum inſultatione, firma & immo-* „ *bilis omni tempore perſiſtit.* Quibus reſpondens Marcus: *Hæc ſancta,* „ inquit, *Romana Eccleſia, Mater eſt omnium Eccleſiarum Chriſti, quæ à* „ *tramite Apoſtolicæ traditionis, numquam erraſſe probatur ſecundum ipſius* „ *Domini Salvatoris divinam pollicitationem, qui diſcipulorum ſuorum* „ *Principi in ſuis fatus eſt Evangeliis. Petre, Ego rogavi pro te, ut non de-* „ *ficiat fides tua &c.*

Recitatis, ponè Tiletanus eamdem in rem SS. Hieronymi ad Theophil. & Auguſtini ex Epiſt. 162. & Epiſt. 90. verbis conti-tinuò ſubjicit. " Cernis jam, Chriſtiane Frater, cenſorem iſtum, „ dum Patrum Tridentinorum de Romanæ Eccleſiæ Magiſterio, „ Principatu, & Ducatu dictum ſugillat, & acriter exagitat, toti „ antiquitati ſe arroganter opponere, quæ diſertè profeſſa eſt, „ ſemper, & ubique Romanam Eccleſiam, ex quo in eam Cathe-„ dra Petri tranſlata eſt, Matrem eſſe, & Magiſtram omnium Ca-„ tholicarum Eccleſiarum, ſemperque futuram, quamdiu quidem „ in ea Petri Cathedra, hoc eſt, Apoſtolica Cathedra permanebit: „ idque propterea, quod Doctrinam Apoſtolorum Petri & Pauli, „ ſemel traditam fideliter ſemper cuſtodierit, & cuſtodiet uſque „ in finem, juxta promiſſionem Domini Salvatoris, *Ego pro te ro-* „ *gavi Petre* (hoc eſt, non tam pro tua perſona, quam pro Cathe-„ dra, quam ego tibi trado in mea Eccleſia, & quam in te inſtituo „ permanſuram perpetuò in Eccleſia mea) *ut non deficiat fides tua.* „ Romana itaque Eccleſia, ex quo in eam tranſlata eſt Divinâ

ordina-

„ ordinatione, (ut Author eſt D. Antherus Pontifex) Petri Ca-
„ thedra, intelligenda eſt, facta eſſe Mater, Matrix, & radix, atque
„ etiam Magiſtra, & Doctrix omnium Eccleſiarum, utpote, quia
„ cum Præſide Romanæ Eccleſiæ, obtinente, Divinâ ordinatione
„ Eccleſiæ totius Principatum, & Supremum Paſtoratum, ſeu E-
„ piſcopatum omnes aliæ Eccleſiæ à quocumque Apoſtolo fun-
„ datæ eſſent, conſentire, conſpirare, communicare, & conſo-
„ ciari deberent, certèque agnoſcere in ejus Præſide, exordium,
„ & vinculum eſſe unitatis totius Eccleſiæ juxta Chriſti diſpoſi-
„ tionem". Et juxta quam propterea etiam Eccleſiaſtica Chriſtianæ Reipublicæ univerſitas in Synodo adunata, Romano Pontifici eſſet ſubjecta, non ſecus ac totum corpus Capiti, ovile Paſtori, ac Conſilium Præſidi.

Alter eſt Joannes Heſſelius, perſpicaciſſimi vir ingenii, & propè Divini, qui Joanni Leonardi Haſſelio, Præceptori ſuo, in conceſſu Synodi Generalis Tridenti defuncto ſurrogatus, egregiam Eccleſiæ Catholicæ contra hæreticos operam navavit, finemque iſti Concilio imponi ſpectavit. Hic in tractatu contra Monhemium edito, *De Cathedra Petri perpetua protectione, & firmitate*, cap. 2. cui hunc titulum præfixit, *Chriſtum inſtituiſſe unum primum Paſtorem, cui numquam finiendam fidem dedit*, ita orditur. " Ipſe ſiqui-
" dem, peregrè profectus, uni janitori injunxit, ut omnibus vigil
" intenderet, dans ei claves, ſeu regimen regni ſui, oves ſuas paſ-
" cendas, fovendas atque regendas ter diligentiſſimè ei commen-
" davit. Et ne oves parum fiderent ſuo Paſtori, inſignem pro-
" miſſionem huic dedit. Nempe, quod rupes eſſet planè immo-
" bilis, ſuper quam tam firmiter conſtrueret domum ſuam, Eccle-
" ſiam, ut portæ inferi, hoc eſt, tribunalia, judicium, principatus
" Diaboli, ſectatorumque ejus, ei prævalere nequirent. *Chriſtus*,
" inquit Ambroſius lib. 4. de fide cap. 3. *cum Petrum, petram dicit*,
" *firmamentum Eccleſiæ indicavit*. Quando Satanas petiit à Deo Pa-
" tre, ut omnes Chriſti diſcipulos perpetuò poſſet agitare, atque
" concutere, ut in nulla Religione vera manerent ſtabiles, ſed
" moverentur omni vento doctrinæ, ſicut triticum in cribro per-
" petuò agitatur, tunc orante Chriſto, indefectibilis fides uni
" Petro conceſsa eſt. Et hac viâ omnibus Chriſti diſcipulis pro-
viſum;

" viſum. Ipſo videlicet Petro, confirmaturo, (Chriſti inſtitu-
" tione) omnes fratres ſuos. Unde per Petrum, ejuſque Sedem,
" & hucuſque confirmati ſunt, & uſque in ſeculi finem confir-
" mabuntur fideles. Hæc enim non pro Eccleſia dumtaxat, & ovi-
" bus tempore Petri viventibus ſunt dicta, ſed & pro tota Eccleſia
" Chriſti in finem uſque ſeculi duratura. Unde etiam ad Petri
" Succeſſores tranſeunt.

Cap. 4. *Oſtenditur neceſſaria eſſe in Eccleſia pro omni tempore ſtabilitas*
" *Summo Paſtori à Chriſto promiſſa: Chriſtianoſq; ad eam promiſſionem ſem-*
" *per reſpexiſſe.* Si enim oriatur quæſtio fidei, quo quæſo reſpi-
" cient idiotæ fideles, ut rectam non deſerant fidem? An in to-
" tam Eccleſiam? Sed admodum lata eſt, nec facilè, ac certò à
" quovis perſpici poteſt, quænam ſit ejus per diverſa loca diffuſæ,
" ſententia; maximè, cum & acerrimi ejus hoſtes, ſeſe de ea eſſe
" jactitent. An expectabunt futurum Concilium? Sed in longum
" ejus protrahitur congregatio, ſummâque difficultate convenire
" videas ex toto orbe in unum locum Paſtores, & ante ejus defi-
" nitionem, non pauci morientur, anxii, quid ſequi debeant. Jam
" dictis, & pleriſque aliis incommodis benigniſſimè remedium
" providit Chriſtus, dicens nobis, quod pro Petro oraverit, ut à
" fide non deficiat, omneſque fratres ſuos conſolidet". Hanc
rem ex Patribus, Irenæo, Cypriano, Hieronymo, Ambroſio,
Proſpero, Auguſtino, Bernardo, Baſilio, Chryſoſtomo, Epipha-
nio, Athanaſio, Synodis Epheſina, & Chalcedonenſi accurratè
declarans, ſub finem affirmat" nos, per illorum, aliorumque Paſto-
" rum Documenta induci in Chriſti naviculam, hoc eſt, Eccleſiam,
" Petro Vice nauclero ſuo ſubjectam".

Cap. autem 6. oſtendit " in promiſſione Petro facta Matt. 16.
" *Super hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi non prævale-*
" *bunt adverſus eam*, ſive in benedictione ei collata Joan. 21. *Paſce*
" *oves meas.* Luc. 22. *Non deficiet fides tua: & tu confirma fratres tuos*,
" quiddam ſpirituale includi: ſc. Quod Eccleſia per Petrum in-
" victa manebit in fide, & pietate: quod à Petro oves Chriſti
" ſpiritale pabulum accipient, & in fide ac pietate ſtabilientur".
Addit cap. 10. " Hôc habet Chriſti promiſſio: quod Petri, ſive
" Succeſſoris ejus fides numquam ita deficiat, quin ſemper ſit

Eccle-

" Eccleſiam, dum à portis inferi oppugnatur, firmaturus, ne illæ
" prævaleant. Quando ergo Pontifex toti Eccleſiæ Chriſti ali-
" quid præſcribit credendum, tum propriè officio Petri fungitur,
" tunc fides ejus non ſolum non deficit, ſed etiam firmat Eccle-
" ſiam. Hoc verò tunc propriè facit, cum controverſiæ exurgunt,
" & fideles ab eo pabulum poſtulant. Alioquì, dum nihil quæ-
" ſtionis eſt circa doctrinam fidei exortum, Pontificis eſt, priùs
" definita diligenter cuſtodire, non novi aliquid pro ſuo libitu,
" definiendum comminiſci". Ita ut,(quæ capitis undecimi conclu-
" ſio eſt) " Eccleſia non nocumentum, ſed tutelam in fide à
" Petri Sede ſemper ſuſceperit, omnibuſque modis firma ſit
" Chriſti vera promſſio. *Apoſtolica Chriſti Eccleſia*, inquit Agatho ad
" Imperatorem ſcribens in Concilio Generali 6. actione 4.) *à tra-*
" *mite Apoſtolicæ traditionis numquam erraſſe probabitur: nec hæreticis no-*
" *vitatibus depravata ſuccubuit, ſecundùm ipſius Domini Salvatoris divinam*
" *pollicitationem, quam ſuorum diſcipulorum Principi, in ſacris Evangeliis,*
" *fatus eſt, Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando*
" *converſus confirma fratres tuos. Conſideret ergo veſtra tranquilla cle-*
" *mentia, quoniam Dominus, & Salvator omnium, cujus Sedes eſt, qui Se-*
" *dem Petri non defecturam promiſit, confirmare eum fratres ſuos admonuit,*
" *quod Apoſtolicos Pontifices, meæ exiguitatis prædeceſſores confidenter feciſſe*
" *ſemper, cunctis eſt cognitum*". Idem paulò antè inculcaverat dicens:
" *Petrus ſpirituales oves Eccleſiæ ab ipſo Redemptore omnium ternâ com-*
" *commendatione paſcendas ſuſcepit: cujus adnitente præſidio hæc Apoſtolica*
" *ejus Eccleſia numquam à via veritatis, in qualibet erroris parte, deflexa eſt,*
" *cujus authoritatem, utpote Apoſtolorum omnium Principis, ſemper omnis*
" *Catholica Chriſti Eccleſia, & univerſales Synodi fideliter amplectentes in*
" *cunctis ſecutæ ſunt, omneſq; Venerabiles Patres Apoſtolicam ejus Doctri-*
" *nam amplexi*".

Heſſelium proximè ſequitur Guilielmus Lindanus, Ruremundenſium primus, Gandenſium verò ſecundus Epiſcopus; Vir, (teſte Baronio in notis Martyrol. 23. Septemb.) non tantùm omnis generis litterarum eruditione clariſſimus, verùm etiam egregii confeſſoris fidei nobilitatus inſignibus: quippe qui exilia proſcriptiones, ærumnas incredibiles, ac mortes penè frequentes inconcuſſo robore, fidei cauſa ſuſtinuit. Scripſit inter cætera o-

opuſcula, *Dubitantium de vera, certaq; per Chriſti Ieſu Evangelium ſalutis æternæ via.* Ubi, cap. 5. Dial. 1. Romanam Eccleſiam deprædicat eſſe, vitæ portam, aiens: " Cum hac enim totus non modò conſenſit „ pridem Oriens, totus item Occidens, ſed omnes planè, toto ſe- „ mel Orbe, Chriſti Eccleſiæ. Hanc enim propter Petri Apoſto- „ rum Principis, atque omnium Chriſti ovium Paſtoris curam „ atque Præpoſituram, primamque de omnibus ſolicitudinem, „ agnoverunt Magiſtram, atque, uti D. Irenæus lib. 3. cap. 4. „ *Opulentiſſimam veritatis Apoſtolicæ Apothecam, Vitaq; portam.* Ex qua, „ ceu vitæ cæleſtis fonte divinitùs adaperto, omnes, qui velint, „ ſumant potum vitæ, nimirum ſalutaris Doctrinæ Chriſti, ſalientis „ in vitam æternam. Hæcque illa una eſt, quæ Petrum Apoſto- „ lum, ac ejus Succeſſores, Romanos Epiſcopos, totius ovilis „ Chriſti, agnoſcit, reveretur, ſuſpicit Paſtores & Rectores". De quo ipſe in Panopliæ Evangelicæ lib. 4. cap. 81. copioſum, ex propoſito, inſtituens ſermonem, cap. 48. ita proſequitur: " Quan- „ do demonſtratum eſt, Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, verum „ eſſe Petri Apoſtoli Succeſſorem, & eamdem Cathedram Sacer- „ dotalem, quam primus D. Petrus tenuit Romæ, etiamnum te- „ nere, nunc ſupereſt, ut Roman. Epiſcopum iiſdem oſtendamus à „ Chriſto Domino exornatum privilegiis, & authoritatis, prin- „ cipaliſque poteſtatis prærogativâ præditum, quibus ipſe olim „ D. Petrus: hoc eſt Pontificem Romanum jure Divino Eccle- „ ſiæ toti Chriſtianæ Præfectum eſſe Oeconomum, totius Chriſti „ ovilis Paſtorem, corporiſque univerſi Chriſtiani caput &c". Citatiſque aliquot Orthodoxorum Patrum ſententiis ſubdit. " Hæc, aliaque præclara adeo veterum Patrum teſtimonia, cum ita „ perſpicuam habeant hac de re veritatis doctrinam, non poſſunt „ vel ipſi adverſariorum ſaniores ire inficias, quin Eccleſiæ Chri- „ ſtianæ Principatus Romano Pontifici ſit attributus, non ordi- „ natione politicâ, Eccleſiaſticâ, aut Cæſareâ, ut volunt, ſed jure „ planè Divino, nec hominis voce, aut Epiſcoporum conſenſu, „ aut Cæſarum voluntate, ſed Chriſti Domini oraculo, Deique „ ordinatione". Id, quod per duo ſubſequentia capita, plurimâ ac magnâ authoritate demonſtrans cap. 36. præ aliis, hæc Nicæni Concilii verba ponderat. " *Ipſa Apoſtolica Sedes Romana, cui ſingulari*

privi-

,, *privilegio Evangelicis, Apoſtolicis, atque Canonicis conceſſum eſt inſti-*
'' *tutis, generales convocare Synodos, ejuſq; Epiſcopum à minore non poſſe*
'' *judicari, omnibus major & Prælata eſt Eccleſiis: quæ non ſolummodò Ca-*
'' *nonum & Sanctorum Patrum Decretis, ſed Domini Salvatoris voce ſin-*
'' *gularem obtinuit Principatum, Tu es, inquit, Petrus, & ſuper hanc petram*
'' *ædificabo Eccleſiam meam*''.

'' Hæc autem verba eſſe genuini Canonis Nicæni, non ſuppo-
'' ſititia, non adulterina, homini ſano perſuadeat, quod ea recitans
'' D. Julius Roman. Pontifex, ad eos ſcripſerit Epiſcopos Orien-
'' tales, Antiochiæ in Synodo congregatos, qui unà cum ipſo illi
'' ſanctiſſimo interfuerant Concilio Nicæno. Ubi ſi hæc non
'' fuiſſent conſtituta, quid, quæſo ſanctiſſimo illi Viro inveniatur
'' vanius, ſtultius, inſanius? Maximè, cum hæc ſcribat, ſeverè eos
'' reprehendens, quod Athanaſium Epiſcopum contra Nicænos
Canones ſuâ fuerant auſi ejicere Eccleſiâ'' ? Cap. 87. prædicta
comprobat ex conſultationibus ex toto Orbe miſſis ad Roma-
num Pontificem. Uti quod '' D. Cyrillus Alexandrinus inquit:
'' *Debemus nos, ut qui membra ſumus, Capiti noſtro, Pontifici Romano, &*
'' *Apoſtolicæ Sedi adhærere, ad nos pertinet, ab eo, quid credendum, quid*
'' *opinandum, quid tenendum ſit, quærere. Quoniam ſolius Pontificis hujus*
'' *ſit, arguere, corrigere, increpare, ratum facere, diſponere, ſolvere, & li-*
gare''. Quod D. Baſilius Epiſt. 52. ad Athanaſium ſcribit: '' *Nobis*
'' *viſum eſt conſentaneum, Epiſcopo Romano ſcribere, ut res haſce noſtras*
'' *viſitet, atque conſideret, ac ſtatuat: ut poſteaquam difficile eſt, communi ac*
'' *ſynodico Decreto quoſdam illinc mitti, ipſe authoritatem ſuam hoc in nego-*
'' *tio exerceat.* Quod Dionyſius Alexandrinus contra Sabellianos
'' à Xyſto Romano petit conſilium: ejuſque requirens ſenten-
'' tiam, ait Euſebius lib. 7. cap. 6. Benignus Epiſcopus cum Co-
'' Epiſcopis Felicem I. conſulit, quod priſco ex more, à tempore
'' uſque Apoſtolorum ſolemne docet Felix Epiſt. 3. Cui & Inno-
'' centius ſuffragatur, ut alios omittam, & omnes quoque Afri-
'' cani Epiſcopi Epiſt. 26. Rurſus: quod univerſi Germaniæ, &
'' Burgundiæ Epiſcopi Anaſtaſium, Macedonii verò Epiſcopi In-
'' nocentium, quaſi Eccleſiarum Caput graviſſimis de cauſis con-
'' ſulunt Epiſt. 22. Omnes denique, toto terrarum Orbe, ſemper
'' Eccleſiæ facere conſueverunt, ait idem Epiſt. 26. Africanos

„ omnes Epiſcopos hujuſce in rei appellans teſtimonium. Illud
" ex Synodi Alexandrinæ ad Felicem Epiſt. præclaris adeo verbis
" legitur. *Veſtrum eſt*, aiunt D. Athanaſius, & univerſi Ægyptio-
" rum, Thobaidis, & Lybiarum Epiſcopi in S. Alexandrina Synodo
" congregati, *Nobis manum porrigere, quia vobis commiſsi ſumus: veſtrum
" eſt nos defendere, atque liberare, noſtrumq́; eſt à vobis auxilium petere,
" veſtris parere juſſionibus.* Et mox: *Scimus enim (ut ſemper veſtræ Sedis
" Præſules, primò Apoſtoli, deinde Succeſſores eorum fecerunt) vos univer-
" ſalis Eccleſiæ & maximè Epiſcoporum, qui oculi vocantur Domini, curam
gerere*".

Inde deveniens ad finem capitis 90. cenſet, "tranſeundum ad
" illa Concilia, quæ ab univerſi Orbis Epiſcoporum cœtu, & con-
" ventu appellamus univerſalia, aut generalia: ac caput 91. ſic ex-
" orditur". Si priſcorum Conciliorum legitimorum acta, de Ro-
" mani Pontificis hanc in rem authoritate conteſtanda in Conſi-
" lium adhibere non gravabimur, in præcinctu eſt perſpicere,
" undenam ſuam illa vim hauſerint, atque robur. Primum illud
" Eccleſiæ Chriſtianæ Concilium, non quidem tempore, ſed autho-
" ritate, Niceæ Patribus 318. inſtructum, non viſum fuit ſatis ha-
" biturum roboris, nec authoritatis, niſi Apoſtolicæ Eccleſiæ Præ-
" ſidis acceſſiſſet conſenſus, & adſtipulatio authoritatis auguſtiſſi-
" mæ multò pleniſſima. Quàm autem Sanctiſſimi illi Patres acto-
" rum confirmationem ſibi ſuiſque cenſuerint neceſſariam, ali-
" unde, nec meliùs, nec certiùs diſcatur, atque hujus Synodi ver-
" bis. Hoſius igitur, cum Macario, & Victore Vincentioque hu-
" jus Synodi Præſides Sylveſtro Romano ſcripſerunt, rogantes:
" *Quidquid*, inquiunt, *inter alia conſtituimus in Concilio Nicæno, preca-
" mur, veſtri oris conſortio confirmetur. Data 8. Kal. Iulias: Paulino & Iu-
" liano* C. C. Vetuſtiſſima exemplaria, quorum unum eſt Colo-
" nienſe, hanc continent actis Nicænis inſertam. Teſtatur & D. I-
" ſidorus Synodum Nicænum regulas edidiſſe, *Quas*, inquit in
" præfatione Concilii Nicæni, *Romana ſuſcipiens confirmavit Eccle-
" ſia.* Eumdem in modum & ſecunda Synodus Oecumenica Con-
" ſtantinopolitana Romanum rogabat Pontificem Damaſum, ut
" illam velit ratam habere, & confirmare. Jam de tertio univer-
" ſali, Epheſino, undenam habuerit ſuum authoritatis robur, at-
teſtatur

„teſtatur Hymarus lib.de Synodis: quod in eo Legati Apoſtolicæ
„Sedis, Beatiſſimi Cyrillus, & Arcadius Epiſcopus ex Italia, vice
„Cæleſtini Papæ præfuerint, & ipſum Apoſtolicâ authoritate
„roborarint. Liquet præterea ex Concilii hujus actis, Theodo-
„ſium Juniorem, ad perfectionem divinitùs ſtatutorum petiiſſe
„Apoſtolicæ Cathedræ apponi confirmationem. Pari modo &
„Chalcedonenſis Synodus ſui confimationem expetiit à D. Leo-
„ne. *Ea igitur, quæ definivimus*, inquiunt, Epiſt. ad illum datâ, *ad
„remotionem totius erroris, ad robur veræ Eccleſiaſticæ ordinationis propitia
„& amabilia, & ad decorem congrua, ſtabilire digneris Sanctiſsime, ac Bea-
„tiſsime Pater.* Et iterum: *Vobis geſtorum omnium veram notitiam fa-
„cimus, ut à vobis, quæ geſta ſunt, ſtatuantur, roborentur, & concedantur.*
„Proinde cum Romanus Pontifex, ſolemni & priſco ex more,
„Concilia prima & univerſalia ſuo confirmarit rogatus calculo;
„liquet, eum non in omnes modò Epiſcopos habere præſtantem
„Dignitatis excellentiam, ſed in Conciliis quoque aut firmandis,
„aut abrogandis Principem authoritatem. Unde veriſſimum eſſe
„conſequitur, ab illius ſententia appellari non poſſe: quemad-
„modum rectè Symmachus apud Gratianum definit, c. *Aliorum* 9.
qu. 3." Econtrà verò ad ipſum etiam à Synodalibus ſententiis
appellare & provocare, omnibus totius Eccleſiæ Epiſcopis fas eſſe,
prout Author multis oſtendit Cap. 89. & 90. Explorati autem
juris eſt, non appellari niſi ad Superiorem. Omnibus igitur om-
nium Eccleſiarum Epiſcopis, & Conciliis, etiam Generalibus Supe-
rior eſt Romanus Pontifex.

Lindano ſuccedit, qui ipſum in Gandavenſi Cathedra Ponti-
ficali Dignitate præceſſit, Cornelius Janſenius, linguarum Hæ-
braicæ, ac Græcæ peritiâ apprimè inſtructus, ex Concilio Triden-
tino, quo, cum Michaële Bayo, & Joanne Heſſelio à Philippo II.
Rege Catholico ablegatus fuerat, redux, Gandenſibus, primus
datus eſt Epiſcopus. Quo in munere conſtitutus, collectum à ſe
dudum ante, ingenti labore, *commentarium* (quod in Dedicatoria, &
Præfatione ipſe teſtatur) *in concordiam, ac totam Hiſtoriam E-
vangelicam* prælo excudendum diu reluctans tandem tradidit. In
cujus cap. 66. explicans Chriſti D. verba, apud Matt. cap. 16. v. 18.
Tu es Petrus, & ſuper hanc petram &c. docet, " quod inde colligatur

" Petri in omnes Apoſtolos Primatus,quem in tota Eccleſia, ejus
" in Sede Romana ſucceſſores, hæreditario jure obtineant. " Item
ad verſ. 19. " Sicut Petro ſingulariter dictum eſt, *Tibi dabo claves*
" *Regni Cælorum*; ita etiam ei ſingulariter aliquid promiſſum vide-
" tur, quod reliquis non fuerit commune, ſicut id etiam anti-
" quiſſimi Patres intellllerunt. Nam, ut alios non commemore-
" mus, in Epiſt. Alexandrinæ Synodi Scripta à D. Athanaſio,cæ-
" teriſque Epiſcopis Ægyptiorum, dicitur inter cætera, poteſta-
" tem, hìc promiſſam Petro, & Succeſſoribus ejus, ſingulari eſſe
" privilegio conceſſam. Itaque per claves Regni Cælorum Petro
" promiſſas, rectiùs intelleximus metaphoricè ſignificatam, ple-
" nariam ac ſupremam poteſtatem gubernandi Eccleſiam Chriſti.
" Cujus metaphoricæ locationis ratio eſt, quod ſuprema poteſtas
" domûs,ſicut & Urbis, penes eum eſt, cujus eſt ſuprema poteſtas
" clavium; hoc eſt: cujus Imperii eſt, intromittere in ædes, vel
" Urbem, aut excludere ædibus vel Urbe, quos vult. Et cui cla-
" ves domûs traduntur, ei totius familiæ, ac domus committitur
" adminiſtratio. Quod ſi quæratur, quando claves iſtæ, jam Pe-
" tro promiſſæ,Petro datæ ſint? Dicendum: tunc datas, quando
" Joan. ultimo Dominus poſt trinam interrogationem, num ip-
" ſum diligeret,præ cæteris, Petrus, ter ei ſuas oves commendavit
" dicens: *Paſce Oves meas, & Agnos meos*. Cum enim eum Paſtorem
" omnium Ovium ſuarum conſtituit, claves utique Regni ſui illi
" concredidit. Nec aliud erat dicere, paſce oves meas, quàm ſi
" dixiſſet. Do tibi claves regni mei: hoc eſt: ſupremam poteſta-
" tem adminiſtrandi regnum meum in terris. Ad Paſtorale enim
" officium, quod ſe ad omnes Chriſti oves extendit, pertinet hæc
" poteſtas. Hìc itaque vide, quæ ſit Petri præeminentia,& dig-
" nitas. Quæ enim Chriſtus propria habuit, hæc Petro, tamquam
" primo ſuo poſt ſe in terris Vicario communicavit, & ſingulari-
" ter ei competit. " Hinc inferiùs ſubinfert". Unde & ſingulari-
" ter Petro dictum eſt. *Quodcumque ligaveris ſuper terram* &c. Qui-
" bus verbis datur ei poteſtas, quoſvis obligandi vel ſolvendi ſive
" vinculo peccati, ſive vinculo præcepti, ut ſtatuere, & præcipere
" omnibus poſſit, quod ſit ad finem Chriſtianæ Reipublicæ com-
" modum, & expediens. Eſt autem & alius ligandi ac ſolvendi
modus,

" modus,qui Petro ejuſque Succeſſoribus aut propriè,aut perfectè, " tantùm convenit. Nempe : ut ſolvere, ſit, nodos emergentium " difficultatum circa ea, quæ ſunt fidei, definiendo diſſolvere : & " ligare, ſit, definiendo hæreſes, & errores arcere, ne, quæ dam-" nata ſunt, credantur. Sed & hic modus ſatis etiam continetur, " & includitur in ſecundo". Exinde hæreticorum ſolvens argumenta pariformiter reſpondet, " Claves enim Petro ſingulariter " promiſſæ, ei etiam ſingulariter datæ ſunt, cum præſentibus aliis " Apoſtolis, poſt reſurrectionem ei ſingulariter dictum eſt. *Paſce* " *Oves meas.* Inter quas oves Chriſti, cum etiam fuerint reliqui " Apoſtoli, conſequitur, his verbis ei etiam Apoſtolorum curam " eſſe commiſſam, ac eorumdem Paſtorem eſſe conſtitutum. Sicut " eidem priùs etiam de Apoſtolis reliquis dixerat. *Et tu aliquando* " *converſus confirma fratres tuos.* Quod certè ad Paſtorale pertinet " officium. &c. quâ Domini conſtitutione, Apoſtolorum Autho-" ritas ita eſt Petro ſubjecta, ac ſi eam ab ipſo, non à Domino im-" mediatè accepiſſent, ſicut & eâdem ſuâ authoritate, ſecundùm " Petri præceptum, ſi opus fuiſſet, uti debuiſſent". In quorum confirmationem recenſitis ad longum, Origenis, Cypiani, Auguſtini, tum S. Clementis, & Anacleti PP. teſtimoniis concludit cum S. Athanaſio "qui cum univerſis Ægyptiorum Thebaidorum, " & Lybiorum Epiſcopis in Sancta Alexandrina Synodo congre-" gatis, ſic ſcribit ad Felicem Pontificem Romanum. *Tu es (ſicut* " *Divinum teſtatur eloquium) Petrus: & ſuper fundamentum tuum Eccle-* " *ſiæ Columnæ, id eſt, Epiſcopi, tibi ſunt confirmatæ: tibiq; claves Regni* " *Cælorum commiſit. Tu prophanarum Hæreſum, & impetitorum, & om-* " *nium infeſtantium Depoſitor, ut Princeps, Doctor, Caputq; omnium Or-* " *thodoxæ Doctrinæ, immaculatæ fidei exiſtis*". Alia teſtimonia citare " ſupervacaneum fuerit, cùm ſit certa omnium hac de re concors ſententia. " Rurſus cap. 133. explanans Chriſti Domini verba " Luc. 22. *Ego autem rogavi pro te, ut non deficiat fides tua, & tu aliquando* " *converſus confirma fratres tuos*, ſubjicit. " Confirma illos in fide. " Quibus verbis manifeſtè ſatis Chriſtus Petrum cæteris præficit. " Cum autem Petro tamquam Apoſtolorum, & Eccleſiæ totius " Capiti dictum ſit: *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.* Hinc " plerique Patres rectè intellexerunt, hanc Chriſti Orationem,

etiam

„ etiam pertinere ad totam Eccleſiam , atque peculiariter etiam ad „ Cathedram Petri , quæ nunc eſt Eccleſia Romana: intelligen- „ ter virtute hujus Orationis totam Chriſti Eccleſiam numquam „ defecturam à fide : imò nec Eccleſiam illam particularem , in quâ „ eſt Cathedra Petri , & legitima Epiſcoporum à Petro ſucceſſio , „ quæ nunc eſt in Eccleſia Romana. Quod enim Petro dictum „ eſt , ad totam Eccleſiam non pertinet , niſi ratione Cathedræ , & „ & Eccleſiæ Petri, quæ in tota Eccleſia primatum obtinet. Sicut „ quod ſupra dictum eſt , *Tibi dabo Claves Regni Cælorum* , in Petro „ toti etiam dictum eſt Eccleſiæ, quæ in Petro claves illas accepit, „ ſed ratione Cathedræ Petri, quæ eas habet à Petro claves per ſuc- „ ceſſionem". Quæ omnia verbis SS. Patrum, Bernardi, Cypriani, Hieronymi , Lucii & Agathonis PP. quæ in ſuperioribus recitata ſunt, ſtabiliens, ſubtexit. " Cùm autem quæ per Petrum ad Ro- „ manam pertinent Eccleſiam , non pertinent ad eam, niſi ratione „ ejus, qui in Sede Petri legitimè ſuccedit Petro, ſicut claves „ Regni Cælorum non habet Eccleſia Romana, niſi in eo qui Pe- „ tro in ea ſuccedit Eccleſia , hinc non efficaciter quidam colli- „ gunt ex Chriſti verbis ſecundum Patrum intelligentiam acce- „ ptis, numquàm etiam à fide defecturum eum, qui legitimus fue- „ rit Petri in Sede ipſius Succeſſor, ne quidem, ut perſonam „ privatam. Nam quod à fide deficere nequeat inquantum caput & „ Paſtor totius Eccleſiæ definiendo aliquid, ac proponendo aliquid „ credendum Catholicæ Eccleſiæ contra fidem, patet ex antedictis, „ & promiſſionibus Chriſti, & ſpecialibus Petri prærogativis Mat- „ thæi 16. & Lucæ 22. expreſſis, & hìc ſupra declaratis, quæ alio- „ quin forent falſæ, quod nefas eſt opinari, vel dicere".

Janſenii præmemorati veſtigiis inhærens Joannes Lenſæus, Vir linguæ diſertæ , càlami ac laboris indefeſſi , in quo uti ſolida S. Auguſtini doctrina , ſic & ſuavis Lactantii elegantia enituit, eàm tamen energiæ vim imprimens , " ut in illo ſcripti genere , " quod *pro una Chriſti in terris Eccleſia* edidit (teſte Henrico Gravio) " ſive ad confirmandam veritatem , ſive ad evertendam falſitatem, " & obſtruenda penitus hæreticorum noſtri temporis ora , nihil " umquam ſolidius, potentius, efficacius videre contigerit". In iſtius operis lib. 3. cap. 9. Hæreticorum Cavillum dictitantium autorita-

thoritatem in omnes Eccleſias ac Primatum Romani Pontificis ante Phocæ Cæſaris Imperium minimè agnitum fuiſſe in Eccleſiâ validè retundens, inquit. " Neque enim ignorant in Synodo „ Chalcedonenſi à Sexcentis triginta Epiſcopis, Leoni Romano „ Pontifici iis acclamatum verbis eſſe, quibus Oecumenicus, „ ſeu univerſalis Patriarcha diceretur. Sed neque illud neſcire „ poſſunt, in eadem Synodo lectos Canones quoſdam Nicæni, ac „ Conſtantinopolitani Concilii, quibus decernitur, *Romanam Se-* „ *dem in omnibus, & per omnia primam eſſe.* Idque ipſum videre lice- „ bit in eadem actione 16. ita Judices, Senatumque declaraſſe, ex „ iis, quæ ab unoquoque depoſita perpendiſſent, *Omnem Primatum,* „ *& honorem præcipuum ſecundùm Canones, antiquæ Romæ Archiepiſcopo* „ *conſervari.* Cui & illud conſonare, ſi velint, intelligent, quod ipſa „ quoque Synodus Epheſina Cyrillum *Congregatorum Epiſcoporum* „ *Caput* vocat, proptereà, quod Cæleſtini, qui Eccleſiæ Caput erat, „ vicibus fungeretur. Rursùm, quod & ante hanc Synodum, Afri- „ cana Concilia Damaſum, *Patrem Patrum, Summumq; omnium Præ-* „ *ſulum Pontificem* appellarunt: quodque eumdem S. Hieron. ſcripſerit „ Petri Cathedram tenere, ſuper quam Chriſtus ſuam Eccleſiam „ ædificaſſet: & hoc antiquior, Athanaſius, unà cum Ægyptiis „ Epiſcopis ad Marcum Pontificem ſcribens, Sedem Apoſtolicam, „ Matrem, & Caput omnium Eccleſiarum affirmare non dubita- „ verit. Vel unius Cypriani, qui & Nicæno Concilio fuit ante- „ rior, doctrinam obſervent; quâ Vir ille Clariſſimus diſertis do- „ cuit verbis, Romanum Pontificem, & Petri locum tenere, & „ *Eccleſiæ totius eſſe Paſtorem, cui* (ut loquitur) *obtemperare debeat fra-* „ *ternitas univerſa*". Lib. deinde 4. cap. 23. expendens cauſas, propter quas Eccleſia Chriſti dicatur Apoſtolica, adſtruit "pecu- „ liariter, præcipueque Apoſtolicam à Principe Apoſtolorum Pe- „ tro nominari Eccleſiam, cujus adhuc Cathedram retinet, eique „ fideliter adhæret, ideoque ſimul doctrinam ſervat, ac fidem, „ propter promiſſionem ei Cathedræ divinitùs factam. Nec enim „ aut de nihilo, aut fruſtra pro Petro propriè oravit Chriſtus Do- „ minus, ut non deficeret fides ejus. Quæ igitur Eccleſia retinet „ Sedem, eadem retinet & Petri fidem, jureque inde Apoſtolica „ nominatur". Præterea lib. 6. cap. cap. 22. ex ſententia SS. PP.

Cypriani, Auguſtini, Bernardi, ac Innocentii, talem ſtatuit concluſionem. " Hæc igitur, aliaque multa, quæ commemorari poſ-„ ſunt, huc pertinent, ut intelligamus penès Petri Succeſſorem, „ ſupremam quamdam eſſe authoritatem judicandi de Chriſtiani „ dogmatis qualibet omninò quæſtione, ſive de Scripturæ veritate, „ ſive intelligentia ſit exorta contentio". Tum cap. 23. id ita proſequitur. " Tametſi autem judicii hujus in Eccleſia primarii, „ non ſic reſtricta poteſtas eſt, ut de his, quæ doctrinæ ſint, aut „ pronunciare nequeat extra Generale Concilium, aut non ei „ tunc pronuncianti parendum ſit. Nam Hæreſim Pelagianam „ cum ſuis Authoribus, ab Epiſcopis Eccleſiæ Romanæ, priùs „ Innocentio, deinde Zozimo, cooperantibus Conciliorum Afri-„ canorum litteris, nullo Generali propterea coacto Concilio, „ conſtat eſſe convictam, atque damnatam". Latiùs hæc porrò deducit in Oratione ſua Theologica, *De admirabile Eccleſiæ concordia*, cap. x. hiſce verbis. " Nunc poſtremò breviter commonſtremus „ oportet, quantùm adferat momenti non ſolùm ad concordiam, „ verùm etiam ad concordiæ perpetuitatem, quod unus eſt Divinâ „ inſtitutione præfectus omnibus, quem Dominus juſſerit audiri „ ab omnibus. Fecit ſemper admirabili providentiâ, ut omnibus „ ubicumque poſitis Paſtoribus, & gregibus, curæ id eſſet maxi-„ mè, quo Sedi Apoſtolicæ, quæ omnium Eccleſiarum eſt Caput, „ conſentanea & docerentur, & diſcerentur. Nihil proinde Ge-„ neralibus Conciliis, quæ quidem robur authoritatis in Eccleſiâ „ habeant, quacumque Orbis in parte celebrata illa fuerint, con-„ cluſum decretumque reperimus, quod non voluerint Patres Se-„ dis Apoſtolicæ judicio congruere, ejuſque cenſurâ, & appro-„ batione firmari. Ac ſicut ab eâ Sede, Doctrinæ ſalutaris, piæque „ omnis inſtitutionis ſemper aquæ velut ſuo de fonte fluxerunt, „ quæ ad omnes circumquaque diffuſas Chriſtiani Orbis Eccleſias „ derivarentur: ſic vice-versâ hanc omnes ſuſpexerunt: ad hanc „ in gravioribus negotiis ſibi confugiendum eſſe putaverunt: „ hujus in judicio acquieſcendum eſſe non dubitanter agnove-„ runt. Nimirum, quod in eâ fratrum Confirmatorem, omnium „ ovium Paſtorem, familiæ ſuæ Patrem, & cui claves traditæ eſſent, „ ſui regni Gubernatorem collocaſſe Dominum perſpiciebant,

„ Quem ergo fratres motis perſecutionum turbinibus ſequeren-„tur, niſi à quo firmarentur? Cujus audiendam vocem oves cen-„ſerent, niſi ſui Paſtoris? A quo doctrinæ diſciplinæque cibum, „niſi à Patre-familias peterent? Cujus obedirent legibus, niſi „quem vice Chriſti regno Præpoſitum ſcirent? Cui poſtremò de „doctrinæ veritate confiderent ſecuriùs, quàm ei, in quo illa pe-„træ ſoliditas, adverſus quam portæ inferorum prævalere non „poſſunt, perſeverat?

„ Itaque Nicæni Concilii antiquitate, doctrinâ, & virtute cele-„berrimi Patres, hoc eſt, illi trecenti decem & octo Sacerdotes, „tanquam Abrahæ electi judicio, conſonâ fidei virtute victores, „non ſolum ingenuè profeſſi ſunt, quod ab ipſo Petro in Eccle-„ſiâ claruiſſe pernoverant: illum qui Sedem Romæ tenet, Caput, „& Principem omnium Patriarcharum, Primumque eſſe: ſicut „Petrus, cui data ſit poteſtas in omnes Principes Chriſtianos, & „eorum Populos, ut qui ſit Vicarius Chriſti ſuper univerſam Ec-„cleſiam Conſtitutus. Sed etiam Silveſtro per id tempus gnber-„nanti, ſicut & Conſtantinopolitanum primum, & Africana „Concilia Damaſo, & Epheſinum Celeſtino, Chalcedonenſe „ſexcentorum & triginta Epiſcoporum Leoni, Carthaginenſia „Innocentio, Conſtantinopolitanum ſecundùm Agathoni, Nicæ-„num alterum Adriano: cætera omnia, quæ longum eſſet recenſe-„re, ſui temporis ſummis Paſtoribus hunc concordiſſimæ obe-„dientiæ, & ſubjectionis honorem detulerunt. Antea verò Cypria-„nus Lucii, & Cornelii Sacerdotium, atque Primatum contra No-„vatianorum factionem, eodem concordiæ Spriritu ſuis lit-„teris propugnarat. Irenæus Victorem, & generatim Sedis ejus, „atque Eccleſiæ potentiorem principalitatem, ad quam conveni-„re omnes undique fideles neceſſe eſſet. Policarpus Anicetum, „Eccleſiæ totius Paſtorem agnoverat. Athanaſius Julii & Liberii „ſupremâ authoritate, & hæreſes reſecari debere, & ſarciri orbis „concordiam poſſe judicavit. Sanctus Ambroſius & Siricium „Pontificem ſuſpexit, ut Ovilis Dominici cuſtodem, & Romanam „Eccleſiam ejuſque, formam ac typum ſequi ſe in omnibus cupere, „profeſſus eſt. Divus Chryſoſtomus ad Innocentium præſidii „causâ confugiens, per eum, ut omnium Epiſcoporum Judicem,

„ quæ contra ſe acta fuerant à diſſidentibus Epiſcopis, reſcindi
„ popoſcit. Divus Hieronimus hanc in Damaſo Petri Cathedram
„ recognoſcens, duxit eam adversùs Arianæ hæreſis inſidias con-
„ ſulendam: huic communione conſociari voluit, ſuper quam
„ ſciret Eccleſiam ædificatam eſſe: cum hâc qui non colligeret,
„ ſpargeret; qui non hujus in Familiâ Paſcha manducaret, profa-
„ num eſſe declaravit. Neque id ſoli ſibi cenſuit eſſe faciendum;
„ ſed Demetriadem etiam inſtruens Virginem, pio Charitatis af-
„ fectu præmonendam putavit, ut Sancti Innocentii, Apoſtolicæ
„ Cathedræ ſucceſſoris, teneret fidem, nec peregrinam, quamvis ſi-
„ bi prudens callidaque videretur, doctrinam reciperet. D. Augu-
„ ſtinus hoc ipſum in Bonifacio ſpeculæ paſtoralis faſtigium
„ intuens, ad illum ſcripta ſua non diſcenda, ut ait, ſed exami-
„ nanda, & ſicuti quippiam diſpliceret, emendanda direxit. D.
„ Proſper hoc idem agnoſcens concordiæ vinculum, ſcribit. Ro-
„ manam Petri Sedem, Paſtoralis honoris factam mundo Caput,
„ quidquid non poſſidet armis, religione unâ & concordi tenere".
In quam rem uſque ad finem Capitis 14. latiſſimè excurrit.

Commemoratis hactenus Profeſſoribus Lovanienſibus Thomam Stapletonum, Duaci licet Doctoralibus infulis inſignitum, & peritiâ linguarum Hæbraicæ perinde, ac Græcæ probè inſtructum, annumerare nihil vetat, Theologiæ etenim ſtudio Lovanienſi operam navarit, quamque in iſta Academia Studioſus hauſerat doctrinam, ad eamdem jam Doctor evocatus, ac S. Scripturæ Profeſſor à Principe inſtitutus. Collegioque Theologico Magiſtrorum Legentium ac Regentium cooptatus, multo cum fœnore refudit. Teſtis eſt non modicus librorum numerus, in quibus fervens pietatis non minùs quàm eruditionis, ac Catholicæ veritatis tutandæ zelus elucet, præſertim in ſua *relectione ſcholaſtica principiorum Fidei Doctrinalium*". Et controverſia 3. quæſtionem 1. hoc titulo auſpicatur." Chriſtus *apertis verbis Petrum conſtituit totius Eccle- Caput*". Probatque ſequentibus Concluſionibus. " I. Ad conſti-
„ tuendum Petrum totius Eccleſiæ ſuæ Caput, primus gradus,
„ quem Chriſtus fecit, eſt novi nominis prædictio. Hanc Joan. 1.
„ expreſſit. II. ad idem declarandum, ſecundus gradus, quem
„ Chriſtus fecit, erat ipſa novi nominis impoſitio Marci 3. cap.

III.

„ III. Tertius gradus, quo Chriſtus uſus eſt ad hanc ſupremam „ Petri poteſtatem conſtituendam, erat dati novi nominis expo- „ ſitio. Mat. 16. v. 18. IV. Chriſtus, ut Petrum, ſupremum Eccleſiæ „ Paſtorem deſignaret, promiſit ei totius Eccleſiaſticæ poteſtatis „ plenitudinem, in illis verbis ibid. v. 19. *Et tibi dabo Claves Regni* „ *Cælorum.* V. Chriſtus ut Petrum deſignaret ſupremum Eccleſiæ „ Paſtorem, & Petram Eccleſiæ indefectibilem, quod Matt. 16. „ promiſit poſtea de facto illum in fide confirmat, & confirman- „ di alios poteſtatem ei tribuit Lucæ 22. VI. Concluſio. Chri- „ ſtus tandem apertis verbis Petrum, ſupremum totius Eccleſiæ „ Paſtorem conſtituit, dicens ei Joan. 21. ter repetito ſermone, „ *Paſce agnos meos, paſce oves meas.* Art. 2. addit. "Chriſtus Petrum fa- „ ctis illuſtribus deſignavit ſupremum fore Eccleſiæ ſuæ Paſto- „ rem. Et Art. 3. Petrus hanc ſupremam poteſtatem exercuit. Et „ q. 2. art. 1. Petri Primatus tranſit ad Succeſſores. Et art. 2. „ concl. 1. Primatum Petro in Scripturis datum, ad Succeſſores „ ejus in Romana Eccleſia perveniſſe ex eiſdem Scripturis tradi- „ derunt Patres. Et concl. 4. Univerſam poteſtatem Eccleſiaſti- „ cam, quæ ad hunc Primatum pertinet, Romani Pontifices per „ omnes ætates, ad hæc uſque tempora exercuerunt: ideoque illi „ ſoli, D. Petri Succeſſores ſemper habiti fuerunt, & habendi „ ſunt. Et q. 4. art. un. Vera ſententia eſt, Romanum Pontifi- „ cem, quando de fide conſultus ex officio reſpondet, & decernit, „ Hæreticum dogma, nec unquam hactenus tradidiſſe, nec tradere „ poſſe. Hæc veritas eſt nunc apud Catholicos certa, & recepta. „ I. Quia Petri Succeſſor eſt, cui fidei indefectibilitas, quoad „ confirmandos fratres, id eſt, quoad publicum judicium de fide à „ Chriſto promiſſa eſt. II. Oriuntur ſæpè in Eccleſia quæſtiones „ de fide, quæ ad Concilium Generale vel numquam referuntur, „ aut referri non poſſunt, aut opus non habent, ſed abſque eo „ definiuntur. Tales erant Manichæorum, Marcionitarum, Sa- „ bellianorum, Novatianorum, Donatiſtarum, Pelagianorum, Lu- „ ciferianorum, Joviniani, Vigilantii, Helvidii, & multæ alio- „ rum hæreſes. Ad iſtas definiendas, nulla eſt ultimata Regula, „ niſi Romani Pontificis: ergo in tali caſu ad Romanum Pontifi- „ cem recurrendum eſt. Errare igitur in decreto fidei Romanus

,, Pontifex extra Concilium Generale non poterit, niſi pariter
,, errare poſſe Eccleſiam, nec ullum errori remedium ponamus".

Quæſtione denique 6. ex Conciliorum Generalium perinde ac Provincialium confirmatione, quæ ad unum pertinet Romanum Pontificem, deducit quod "Primatus hujus Pontificis evi-
,, denter conſequatur. Confirmare enim acta, roborare, ac rata fa-
,, cere geſta communitatis alicujus, ſolius Principis, & Superioris
,, authoritatis eſt. Vetuſtiſſima autem Eccleſiæ regula, & conſti-
,, tutio fuit, ut nihil de fide publica in Eccleſia decerneretur abſ-
,, que Rom. Pontificis authoritate, & conſenſu. Probatur teſti-
,, monio Eccleſ. Hiſtoriæ authore Socrate, qui ſcribit, *Canonem*
,, *Eccleſiaſticum jubere, non oportere abſque ſententia Rom. Pontificis decreta*
,, *Eccleſiis ſanciri*; vel ut Epiphanius Scholaſticus in tripart. Hiſto-
,, ria libro 4. cap. 9. interpretatur, Concilia celebrari. Et confir-
,, matur: quia hunc veterem Canonem Julius Papa objecit Græcis
,, Epiſcopis, abſque ejus conſenſu Concilium Antiochiæ de fide
,, celebrantibus. Refert enim Socrates libro 2. cap. 13. ſcripſiſſe
,, Julium; contra leges Eccleſiæ illos egiſſe, quod illum ad Con-
,, cilium non vocaſſent. Nam legem eſſe ad Sacerdotii dignita-
,, tem ſpectantem, quæ pronunciat acta illa irrita eſſe, quæ præter
,, ſententiam Rom. Epiſcopi conſtituuntur. Rurſum cõfirma-
,, tur, quia hic Canon in Concilio Nicæno primo latus eſt: ſic
,, enim ſcribit idem Julius Papa in Epiſt. 1. ad Orientales. *Cano-*
,, *nibus* (inquit) *in Nicæna Synodo jubentibus, non debere præter ſententiam*
,, *Rom. Pontificis ullo modo Concilia celebrari.* Eſt autem Canon 20. ut
,, nunc illi Canones recenſentur ab Alphonſo Piſano in libello
,, de Actis & Canonibus Nic. Concilii. Sed & Marcellus Papa
,, hoc idem ab Apoſtolis conſtitutum fuiſſe in epiſtola Decre-
,, tali affirmat, & recitat Ivo 4. parte cap. 240. Porrò in altera
,, ejuſdem Julii epiſtola ad Orientales, quam totam in Apolog. 2.
,, Athanaſius complexus eſt, idem affirmatur. In epiſt. quoque
,, Athanaſii, & aliorum Ægyptiorum Epiſcoporum ad Felicem
,, Papam, idem ad verbum repetitur, poſteaque à Damaſo Papa in
,, Epiſt. ad 3. Concilia Africana, ac demum à Juſtiniano Impera-
,, tore conſtituit: novella 131. *Nulla* (inquit) *umquam Synodus rata*
,, *legitur, quæ ab Apoſtolica B. Petri Sede non fuerit fulta*".

Unde

„ Unde Concilia Provincilia, ſed Generalia maximè, quæ à „ Romano Pontifice confirmata non fuerunt, omni poſtea authoritate, & fide caruerunt. Probatur authoritate multorum Conciliorum &c. Imò circa fidei definitionem, & dubii dogmatis determinationem tanta ſemper fuit Romani Pontificis authoritas, ut unumquodque dogma Romanus Pontifex priùs definierit; & unamquamque hæreſim priùs damnaverit, vel Synodo Romanâ priùs ea de re habitâ, vel per litteras ſuas ad Concilium miſſas, antequam in Concilium Patres conveniſſent: utque ejus doctrinam ac determinationem reliqui Epiſcopi, & Concilii Patres ſemper ad amuſſim ſequuti fuerint, patebit evidenter per inductionem, Damaſi ante Concilium Generale 2. Cæleſtini ante 3. Leonis ante 4. Symplicii, Felicis, Hormiſdæ, & Agapeti ante 5. Theodori, Martini, & Agatonis ante 6. Adriani, ante 7. Nicolai ante 8. In iſtis Conciliis omnibus præjudicata Romani Pontificis ſententia, pro norma, & regula fidei habita eſt". Prælibatos verò huc uſque ſex quæſtionum articulos, & concluſiones cunctas, & ſingulas, tam multis Sanctorum Patrum, Conciliorumque teſtimoniis, tam validâ traditionis, ac antiquæ conſuetudinis authoritate, tot tantiſque argumentis ſtabilit, ac adeò nervosè adverſariorum in contrarium objectiones convellit, ut, ſi ea vel carptim hìc tranſcribere oporteret, propoſitam methodum, nimiùm excederent.

Cæterùm, Viri iſti Eximii, ac Inclyti, quos uſque modò commemoravimus præcedentis ſæculi terminum non attingerunt: ſed ex eo, in quo floruerunt, ad ſuperos virtutis ac eruditionis conſortio provecti, hìc nominis immortalitatem reliquerunt, & ibi, velut ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Succedunt proinde, quos & præſens ſeculum ſuſpexit, & quorum virentem memoriam ſtabili veneratione celebrat. Primus inter illos occurrit Guilielmus Eſtius in Lovanienſi Academia Theologiæ Doctor quidem renuntiatus, ſed mox inde Duacum accerſitus, ſeu potiùs à Matre ad recèns ibi erectam Academiam, quaſi Filiam formandam amandatus, è veſtigio ad D. Petri Præpoſitus, ac Univerſitatis Cancelarius fuit ſalutatus. Ob raras ac incomparabiles animi dotes dignus habitus, qui à Collega ſuo, Gaſpare Nemio, Antuer-

pien-

pienſium poſtmodum Antiſtite, demùm Cameracenſium Archi-Epiſcopo, retulerit *Doctiſſimi juxta, ac Sanctiſſimi*, elogium. Certè mortem ipſius pretioſam fuiſſe, & cum magnæ Sanctitatis opinione, ex hac vita migraſſe, atteſtantur non pauci. Quin, & relicta ab ipſo Litteraria triginta & eò ampliùs annorum monumenta quemdam excellentiſſimæ doctrinæ, pietatis, ac devotiſſimæ erga Sedem Apoſtolicam obſervantiæ etiamnum ſpirant odorem. In præclariſſimis Commentariis ſuis ſuper 4. lib. ſent. ad diſt. 24. §. 30. in hunc modum diſcurrit". Ex Chriſti ordinatione, unus „ cæteris Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus Epiſcopis cum ple- „ nitudine poteſtatis præfectus eſt, ſcilicet Petrus Apoſtolorum „ Princeps, ac totius Eccleſiæ Paſtor, & quicumque ei in Cathe- „ dra Succeſſor eſt. Hanc ſummam in terris poteſtatem Chriſtus „ Petro promiſit Matth. 16. quando dicenti, ad ſe, *Tu es Chriſtus* „ *Filius Dei vivi*, vicem atque mercedem rependit, ut ei diceret. *Tu* „ *es Petrus, & ſuper hanc petram* &c. *Et tibi dabo claves Regni Cælorum.* „ His enim verbis, Petro, ejuſque ſucceſſoribus duo promittun- „ tur: alterum, quod ſit futurus, totius Eccleſiæ fundamentum „ adeo firmum, ut portæ inferi numquam ſint adversùs eam benè „ fundatam prævalituræ. Non enim audiendi ſunt, qui illud, *ſu-* „ *per hanc petram*, aliorsùm detorquent, vel Chriſtum intelligentes, „ vel ipſam Petri confeſſionem. Senſus clarus, & planus eſt: *Tu* „ *es Petra, ſeu Petrus*, id eſt, hoc nomen, quod petram ſignificat, tibi „ impono: quia ſuper hanc petram, quam te eſſe dixi, tamquam „ rupem firmiſſimam, atque immobilem, ædificabo Eccleſiam „ meam. Alterum, quod ibi promittitur, eſt ſumma gubernandi in „ Eccleſia poteſtas, quæ ſignificata eſt per claves regni cælorum, „ Eam autem poteſtatem, hoc loco promiſſam, Chriſtus Petro tra- „ didit poſt Reſurrectionem, quando rursùm præſentibus aliis „ Apoſtolis, ei poſt trinam amoris interrogationem, quarum pri- „ ma erat, *Diligis me plus his?* peculiariter dictum fuit, *Paſce oves* „ *meas, & paſce agnos meos:* id eſt, univerſam Eccleſiam meam, in „ qua, velut ovili, ſunt oves cum agnis: id eſt, majores cum mino- „ ribus". Et diſt. 47. "At non ad ſolius Petri perſonam, illæ „ Scripturæ referendæ ſunt, ne tantùm ad breviſſimum tempus „ Eccleſiæ ſuæ proſpexiſſe Chriſtum, fateri cogamur, ſed ad ejus

" in perpetuum Succeſſores. Unde & ſtatuunt Primatum Petri, & " Succeſſorum ejus, & fidei ejus indeſectibilem. Nemo quippe " deſignari poteſt ex omnibus Romanis Epiſcopis, qui doctrinam " novam, & anteceſſorum ſuorum doctrinæ repugnantem, intro-" duxerit in Eccleſiam, aut ſaltem Eccleſiæ tenendam propoſue-" rit". Antedicta, "Facilè probant epitheta præclariſſima, quibus " jam olim omnes Eccleſiæ Patres Pontificem Romanum co-" honeſtarunt, vocantes eum, *totius Eccleſiæ Caput*, *Præfectum*, *Prin-" cipem*, *Paſtorem*, *Doctorem*, *Petram*, *fundamentum*, *Baſim*, *Epiſcopum* " *Epiſcoporum*, *Patrem Patrum*, *Summum Patriarcham*, *Chriſti Vicarium* &c. Rationem eorum aſſignat in Annotationibus ad cap. 16. Matthæi v. 18. & 19. " Quia Petrus miniſterio poteſtatis ſibi à Chriſto " traditæ, Fratres ſuos, id eſt, Eccleſiam univerſam in fide con-" firmat. Hic verborum Chriſti ſenſus eſt. Super te, tamquam fir-" mam & immobilem Petram, ædificabo Eccleſiam meam, quia " videlicet, tuo, ac Succeſſorum tuorum miniſterio in fide ſtabilis " permanebit, ita ut portæ inferi numquam adversùs eam præva-" leant, ſcilicet Eccleſiam, idque propter Petræ firmitatem, ſuper " quam Eccleſia ſit ædificata: hujuſmodi enim eſt, ut portæ in-" feri non ſint prævalituræ". Et ad Lucæ 22. v. 32. "Singulari-" ter pro Petro dicit ſe rogaſſe Chriſtus, propter illud, quod ſe-" quitur. *Et tu aliquando confirma fratres tuos.* Propter totam Eccle-" ſiam iſtud ad Petrum dictum eſt. Per Fratres videntur intelligì " Apoſtoli, & omnes Coëpiſcopi: quibus confirmatis confir-" mantur per eos, eorum Subditi. Et ita ex conſequenti, per Pe-" trum, & Petri Succeſſorem, confirmatur tota Eccleſia. Tunc " autem maximè Fratres ſuos, id eſt, Coëpiſcopos confirmat Pe-" trus, quando ſententiam Epiſcoporum in generali Concilio Ro-" manus Epiſcopus confirmat". Et ad Joan. cap. 21. v. 17. His " verbis, *Paſce oves meas*, dat Dominus Petro poteſtatem ei pro-" miſſam Matth. 16. & Petrum conſtituit Paſtorem ovium ſua-" rum ſine exceptione, & reſtrictione, præſentibus aliis Apoſto-" lis, ac B. Petro omnium ovium cura, adeòque ipſorum Apo-" ſtolorum commiſſa eſt. Portò, *Paſce oves meas* ad ſolum quidem " Petrum vocaliter dictum eſt, ſed non ad ſolum pertinet, verùm " etiam ad omnes ejus Succeſſores. Voluit enim Chriſtus Eccle-

„ ſiæ ſuæ proſpicere in perpetuum de Paſtore totius Eccleſiæ.
„ Unde rectè hinc ſtatuitur, etiam quemlibet Petri Succeſſorem,
„ eſſe Paſtorem omnium fidelium, id eſt, totius Eccleſiæ", conſequenter omni Concilio Superiorem, ejuſque unius judicium, ſive in Synodo univerſali, ſive ſine illa prolatum, quod controverſiis Fidei dirimendis inſtituit Lex Divina, (ſicut in oratione ſua Theologica 9. dicit idem author,) certum eſſe atque infallibile.

Circa idem tempus, quo Eſtius novellum Duaci Viridarium indefeſſo labore pergebat excolere, Joannes Malderus, Lovanii, pro Facultate Theologica, erectæ, Regis Catholici voluntate, novæ Cathedræ (ex qua non aliam, quàm Angelici Præceptoris Thomæ Aquinatis doctrinam, juſſu Regio, nominatim tradi liceret) ab Archiduce Alberto impoſitus, ardua in præſens uſque ſeculum ſtudia, ad annos ſex ſupra decem in eadem ſtatione, tam ſtrenuè, tantâque cum laude & fructu produxit, ut ad firmandos, ſtabiliendoſque adversùs ſerpentes iſtius temporis Hæreſes, Antverpienſium animos, pius iſte Princeps Malderum eis Epiſcopum præficiendum duxerit. Indulſit cura Paſtoralis horas ſucciſivas, quibus prælecta Lovanii *de virtutibus Theologicis, de Iuſtitia & Religione, Commentaria ad* 2. 2. *D. Thomæ*, Lucubrationum ſuarum primitias, limare, polire, & augere licuit, ac per prælum publici Juris facere. Et ne tarda forent pro Primatu, & ſuprema poteſtate Apoſtolicæ Sedis molimina, ipſi ſtatim primæ quæſtioni tractatum inſeruit *de Romano Pontifice*, pro cujus fundanda authoritate, duo, velut totidem baſes dicendorum, præmittit. Primum, diſp. 2. "De Fide eſt, quod
„ Chriſtus præfecerit Petrum toti Eccleſiæ. Hujus non parva ſunt
" in Scripturis Divinis argumenta. Primum ſit ex illo Matth.
" cap. 10. *Primus Simon, qui dicitur Petrus*. Ubi Syrus majori em-
" phaſi dicit: *Primus illorum*. In quibus verbis hoc obſervandum
" eſt, ſignificari, primum locum ei datum eſſe à Domino, quo-
" modò intellexit Epiphanius in Hæreſi Alogorum, quæ eſt 52.
" Verba ejus ſunt: *Elegit Petrum, ut Dux eſſet ſuorum Diſcipulorum,*
" *velut omnino clarè indicatum eſt*. II. Eſt ex cap. 16. ejuſdem, *Tu*
" *es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam*. Ex hoc
" enim loco ita licet argumentari. Quod Princeps eſt in Repu-
" blica, quod caput in homine, hoc fundamentum in ædificio:

utpote,

" utpote, â quò tota ſtructura ſuſtentetur, ſtabiliatur, & confir-
" metur, cui quæcumque ſuperſtruuntur, agglutinari oporteat
" calce, aptâque compoſitione. Ex his verbis Primatum Petri
" communiter veteres ſtatuunt. Longo ordine recenſet Maldo-
" natus, Clementem Rom. Hippolytum, Dionyſium, Tertullia-
" num ante & poſt hæreſim, Cyprianum, Originem, Epipha-
" nium, Nazianzenum, Baſilium, Hieronymum, Leonem, Con-
" cilium Chalcedon. Hilarium, Chriſoſtomum, Cyrillum, Augu-
" ſtinum, Ambroſium. III. Sumi poteſt ex aliis Chriſti ad Petrum
" verbis eod. cap. 16. *Et tibi dabo claves regni cælorum.* Hìc Petro
" promittitur Supremus Pontificatus, & aliquid, quod aliis Apo-
" ſtolis non fuerit commune. Ad objectiones diluendas notaſſe
" ſuffecerit, Petro claves regni cælorum in plenitudine poteſta-
" tis ordinariæ fuiſſe ita proprias, ut ipſo vivente, non alius fuerit
" Chriſti Generalis Vicarius, cui ſimpliciter, cæli clàves concre-
" ditæ ſint, id eſt, plenitudo ſummæ in totam Eccleſiam poteſtatis,
" potiſſimùm, ea removendi, quæ regnum clauſum nobis retineant,
" ac regendi, & legibus formandi Eccleſias per alios Apoſtolos
" fundatas. IV. Deſumitur ex illo Joan. 21. *Paſce agnos meos, paſce*
" *oves meas.* Hìc enim ſoli Petro committitur cura univerſi ovilis
" Chriſti. Accedit conſenſus veterum, qui ita interpretantur illud,
" *Oves meas*, quaſi dixiſſet Dominus: Paſce ovile meum, aut omnes
" oves meas. Imò interdum apertè dicunt: etiam ipſos Apoſto-
" los curæ Petri hìc eſſe commiſſos". Ita Leo ſerm. 3. de ſua
" aſſumptione &c. & Bernardus lib. 2. de conſiderat".

Alterum pro fundamento dicendorum, poſitum eſt Diſp. 3. &
" dubio 2. nempe, " Quod ex Criſti inſtituto Petrus aliquem ha-
" beat in ſummo Pontificatu Succeſſorem, quodque ille ſit Roma-
" nus Pontifex. Primatus enim, & ſummus Pontificatus Petri
" non fuit temporaneus, ſicut Apoſtolatus, ſed talis fuit, ut in eo
" oporteat, quamdiu Eccleſia, hìc militat aliquem ſuccedere, qui
" toti ovili Chriſti, & reliquis omnibus Paſtoribus ex officio
" præſit, & imperet. Quæ itaque cauſa fuit ſummum Sacerdo-
" tium, ac Paſtoratum committendi Petro; ea erit, toto decurſu
" Eccleſiæ, aliquem loco Petri, in hujuſmodi Præfectura ſurro-
" gandi. Neque enim Chriſtus Petri Primatum inſtituit, tam ut

„ Petrum honoraret, quàm ut in perpetuum ſuæ Eccleſiæ provi-
„ deret de Vicario, Paſtore Univerſali. Perſeverat hujus officium
„ in Petri Succeſſore, quatenùs curâ ſuâ Paſtorali, totius Eccle-
„ ſiæ molem ſuſtentat, & omne reliquum ovile ſuâ ſtabilitate ad
„ normam Petri confirmat. Certum eſt, in primo Concilo Nicæ-
„ no apertè ſatis conteſtatam fuiſſe hanc Romanæ Sedis authori-
„ tatem, ut patet ex Concilio Chalcedonenſi, actione 16. Deni-
„ que plures Canones Nicænos pro authoritate Romanæ Sedis vi-
„ dere licet in reſcripto Julii Papæ pro Athanaſio ad Orientales
„ Epiſcopos Qui Julius Nicænæ Synodo interfuit, & paulo poſt
„ Romanam Sedem adeptus eſt." Exinde Author diſp. 4. dub. 1.
„ & 2. determinans Romanum Pontificem habere ſupremam
„ poteſtatem immediatè in omnes, & ſingulos Epiſcopos, cun-
„ ctaque Eccleſiæ membra, dub. 3. ſtatuit, manere Pontificem,
„ Caput omnium Epiſcoporum ſimul congregatorum, adeoque
„ Concilii univerſalis. Ergo Eccleſia etiam in Concilio congre-
„ ta pendet à Pontifice, tamquam à Capite. Unde Synodus Chal-
„ cedonenſis ita ſcribit Leoni Papæ. *Quibus tu quidem, ſicut membris*
„ *Caput præeras*". Sequenti ad hæc diſputatione V. inquirens" an
„ Romanus Pontifex poſſit errare in decidendis fidei quæſtioni-
„ bus". Præmonet "non quæri an poſſit errare, ut particularis
„ Doctor: neque an poſſit errare, quando cum univerſali Conci-
„ lio aliquid tamquam de fide definit; ſed propriè quæri, an poſ-
„ ſit errare, quando ex Cathedra aliquid circa fidem definit extra
„ Concilium Generale". Et reſpondendum omnino exiſtimat".
„ Summum Pontificem non poſſe authoritate ſuâ Pontificali
„ proponere Eccleſiæ aliquem errorem in fide. Quia Luc. 22. dicit
„ Dominus Petro *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu ali-*
„ *quando converſus confirma fratres tuos.* Ut ſignificetur reipsâ, nun-
„ quam defecturam fidem ſummi Pontificis in actu, quo propo-
„ nat credenda Eccleſiæ. Patet ex communi Patrum explicatio-
„ ne. Vide Leonem ſerm. 3. de anniverſ. ſuæ Aſſumpt. Videtur
„ huc reſpexiſſe Cyprianus lib. 1. Epiſt. 3. quando dicit ad Ro-
„ manos, perfidiam non habere acceſſum. Et Epiphanius in An-
„ choreto: quando dicit: in Petri miniſterio, omnes Fidei ſubti-
„ litates inveniri. Conſentit Bernardus Epiſt. 190. Faciunt huc
variæ

„ varia Scripturæ loca, quibus adſtruitur Petri ſummus Pontifica-„ tus. Nam eo ipſo jubentur omnes, ejus, & Succeſſorum vo-„ cem, tamquam Paſtoris audire, adeoque recipere, quicquid ip-„ ſi tamquam Fidei proponendum exiſtimaverint. Atqui abſur-„ dum foret, Deum præcipere, ut credamus erranti. Claves etiam „ Regni Cælorum, hanc prærogativam indicant. Rectè enim „ Studites, in Epiſtola ad Naucrat. adversùs Iconoclaſtes ita ſcri-„ bit. *Seipſos abſciderunt à Corpore Chriſti, & Principe Sede, in qua „ Chriſtus Claves Fidei poſuit, adversùs quas non prævaluerunt, neque præ-„ valebunt portæ inferi.*

Maldero hac in parte per omnia conſentaneus, pari cum ipſo, & methodo, & paſſu proceſſit Joannes Wiggers, ſecundus Seminarii Leodienſis Lovanii Præſes, quod tunc auſpiciis Principis, & Epiſcopi Erneſti Bavari erigi cœptum, ac adhuc intra ſua principia hærebat, ipſe mirâ vigilantiâ, & directione in eum ſtatum, qui modò conſpicuus eſt, promovit: utque valebat raris ingenii, magnique judicii dotibus, plurimum præ cæteris de Academia ipſa meritus eſt, ſive labores ſpectemus, quos pro ea tuenda, in graviſſimis difficultatibus, quas domi foriſque paſſa eſt, ſtrenuè exantlavit, idque ſolerti prudentia maturoque conſilio, quibus excellebat, ſive profundiſſimæ doctrinæ eminentiam, quâ eamdem docendo, ſcribendoque illuſtravit, non minùs virtute, quam eruditione inſignis ac præclarus. In tractatu de Pontifice Romano quem ſimiliter in 2. 2. D. Thomæ ad quæſt. 1. art. 10. apparavit, ſequentia documenta ſolidiſſimè fundat dub. 1. " Catholici om-" nes docent, Petrum fuiſſe à Chriſto præpoſitum toti Eccleſiæ, " adeoque totius Eccleſiæ Caput fuiſſe conſtitutum, atque uni-" verſale regimen eidem, tamquam Vicario Chriſti in terris, com-" miſſum. Eſt hæc certa doctrina de fide. Probatur autem ex " Scripturis, præſertim ex duobus locis, in quorum altero promit-" titur Primatus Petro, & in altero ei exhibetur: ac ſimul ex an-" tiquis Patribus, Græcis & Latinis ſic intelligentibus, & inter-" pretantibus eadem loca". Quæ omnia longo ordine, recitat, " elucidat & ab adverſis impugnationibus relevat. N. 42. ad ob-" jecta ex D. Auguſtino loca reſpondet. " Quando D. Auguſt. „ ſcribit: *In Petro fuiſſe Eccleſiæ Sacramentum, Petrum, quando claves*

„ *accepit, Eccleſiam Sanctam ſignificaſſe, Petrum, in ſignificatione perſonam* „ *Eccleſiæ geſtaſſe*, iſtis ejuſmodi ſermonibus, & formulis loquendi, „ non aliud docere intendit Auguſtin. quàm Petrum, non ut pri- „ vatum hominem, ad ſuum particularem uſum tantùm, vel hono- „ rem, accepiſſe claves, quæ cum ipſo interituræ eſſent; neque „ illi, ut tali, & ad eum effectum, & finem à Chriſto claves eſſe „ datas: ſed eum ſub ratione perſonæ publicæ, ſub qua ſignifica- „ bat, & ſuſtinebat perſonam Eccleſiæ, accepiſſe claves, quæ non „ cum Petro proinde eſſent morituræ, ſed ſemper ad Eccleſiæ ædi- „ ficationem, & utilitatem, in ea permanſuræ. Accepiſſe, inquam, „ non quaſi procuratorio nomine, ſic ut eas Eccleſiæ tantùm, & „ non ſibi accepiſſet; ſed accepiſſe, tamquam univerſalem Paſto- „ rem, & verum Caput Eccleſiæ: ſic tamen ut eas acceperit, non „ ſuæ perſonæ ſoli, verùm etiam pro omnibus Succeſſoribus, & „ ſimul pro reliquis Eccleſiæ Prælatis, & Epiſcopis, quibus ipſe, „ & ejus Succeſſores habent eas communicare ſecundùm gradum, „ & ordinem uniuſcujuſque". Dubio 2. n. 105. Hìc Primatus „ ſive Univerſalis, & ſuprema Pontificia poteſtas, quam Petrus „ habuit in totam Eccleſiam, non fuit temporanea, ut cum vita „ Petri finiretur: ſed ſic fuit data, & inſtituta, ut perpetuò, quam- „ diu Eccleſia hìc militabit, ipſe perſeveret, & ſemper aliquis in „ illo Primatu, ſive Summo Pontificatn ſuccedat, qui toti ovili „ Chriſti, & omnibus reliquis Paſtoribus, ex officio præſit, & im- „ peret. Eſt Fidei: ut patet ex Concilio Conſtantienſi, ubi inter „ alios articulos Joannis Hus, damnatur iſte, qui eſt 27. *Non eſt* „ *ſcintilla apparentia, quod oporteat eſſe unum Caput in ſpiritualibus, re-* „ *gens Eccleſiam, quod ſemper, cum ipſa militante Eccleſia converſetur, &* „ *conſerveiur.* Et probatur. Quia non debet officium Paſtoris ceſ- „ ſare, quamdiu ovile, & oves ſubſiſtunt. Ergo Primatus ille debet „ eſſe tam perpetuus, quàm Eccleſia. N. 108. Petri Succeſſor in „ Primatu, & generali regimine totius Eccleſiæ, eſt Romanus „ Pontifex. Eſt etiam certa de Fide. Et probatur primò ex Con- „ ciliis. Secundò, ex Summis Pontificibus, qui ſederunt pri- „ mis 300. annis. Ex eis, qui floruerunt ab anno trecentiſſimo „ uſque ad 600. ac ex eis qui ſederunt ab anno 600. uſque ad no- „ ſtra tempora. Tertiò probatur ex aliis antiquis Patribus, tum

Græcis,

„ Græcis, tum Latinis &c. Dub. 4. n. 173. Patet, quod ſemper „ Epiſcopi, & Patres detulerunt ſupremum, & ultimum judicium „ in controverſiis Fidei, Romanæ Sedi. D. Gregorius ita ſcribit „ Epiſt. 52. lib. 4. ad omnes Epiſcopos Galliæ: *Si quam verò con-„ tentionem, (quod longè faciat Divina potentia) de fidei cauſa evenire con-„ tigerit, aut negotium emerſerit, cujus vehemens ſit dubietas, & pro ſui „ magnitudine, judicio Sedis Apoſtolicæ indigeat, examinatâ diligenter ve-„ ritate, relatione ſuâ ad noſtram ſtudeant perducere notionem, quatenùs „ valeat à nobis congruâ, ſine dubio, ſententiâ terminari*".

„ Dub. 5. n. 177. & n. 191. Pontificis judicium in Quæſtion. „ Fidei determinandis, ſimiliter in decretis morum, quæ toti „ Eccleſiæ præſcribit, non tantùm cum Concilio Generali, ſed „ etiam, quandocumque ex Cathedra loquitur, & Eccleſiam to-„ tam docet, cum obligatione ad ita credendum & docendum, eſt „ prorsùs certum & infallibile. Tenetur communiter à Catholi-„ cis, ita ut oppoſita ſententia habeatur improbabilis. Probatur „ n. 178. Numquam Petri Succeſſor, ſive Romanus Pontifex, „ deficere poteſt in ſuſtentando Eccleſiæ ædificio: nam labefa-„ ctato fundamento, & in ſuo officio deficiente, mox ædificium „ inclinari, & corruere neceſſe eſt; atque ita portæ inferi adver-„ sùs Eccleſiam prævalerent. Atqui, ſi Pontifex, ut univerſalis „ Paſtor, ex Cathedra Eccleſiam docens traderet, & proponeret „ ei erroneas doctrinas, ac hæreſes tenendas, & credendas, jam „ manifeſtè deficeret in ratione fundamenti, & ſuſtentationis Ec-„ cleſiæ: quia jam non ſuſtineret eam, ſed in ruinam inclinaret, „ & corruere faceret. N. 189. Dicet aliquis. Pontifex eſt Petra, „ & fundamentum Eccleſiæ, & ſanæ fidei, ſed adhibendo ſimul „ ipſam Eccleſiam, ſive Concilium Generale. Verùm contra fa-„ cit; quod ſic fundamentum non præberet ſoliditatem ædificio, „ ſed ab ædificio ſoliditatem acciperet, quod eſt contra rationem. „ Lucæ 22. dicit Chriſtus Dominus Petro. *Ego rogavi pro te, ut non „ deficiat Fides tua: Et tu aliquando converſus confirma fratres tuos.* n. 182. „ Omnes circumſtantiæ textus indicant, Dominum peculiariter „ oraſſe pro Petro, & pro Succeſſoribus: pro reliquis autem, ut „ per Petrum acciperent, quod ipſis pro ſoliditate conveniebat. „ Quia pro illo proximè rogatur, cui dicitur, *Confirma Fratres tuos*:

Sed

„ Sed Eccleſia univerſalis Fratres non habet, quos poſſit, aut de-
„ beat confirmare; ergò immediatè pro Petro, tamquam Paſtore
„ Eccleſiæ univerſalis, ejuſque in ea functione Succeſſoribus Chri-
„ ſtús rogavit, eiſdemque impetravit infallibilem firmitatem, ut
„ ſine errore poſſint perpetuò Fratres docere, & confirmare in iis,
„ quæ ſunt ſanæ fidei. Confirmatur hic ſenſus authoritate SS. Pon-
„ tificum, & Patrum. &c. ac ratione n. 187. Quia plurimi Ro-
„ mani Pontifices, damnarunt varios errores, tamquam hæreſes,
„ ſine Concilio Generali, qui poſtea ab Eccleſia Univerſa pro
„ hæreſi ſunt habiti. Sic errores Pelagii damnarunt Innocentius,
„ Soſimus, Cæleſtinus, ſine Generali Concilio, ut patet ex Proſ-
„ pero contra collatorem. Idem conſtat factum à Sixto in dam-
„ nandis Reliquiis Pelagianorum, errores Priſcialiniſtarum dam-
„ navit Leo I. ut patet ex ejus Epiſt. 93. Victor II. Nicolaus II.
„ & Gregorius VII. damnarunt errores Berengarii. Item Inno-
„ centius II. errores Petri Abailardi, ut patet ex Epiſt. 194. inter
„ Epiſtolas Bernardi. Sic alii Pontifices, alios errores diverſos
„ damnarunt. Dicet forſitan aliquis. Definitiones hujuſmodi ra-
„ tas fuiſſe, quia ab Eccleſia univerſali receptæ ſunt. Sed contra.
„ Quia numquam viſum eſt, tale judicium Romani Pontificis re-
„ jici, aut ab Eccleſia de eo dubitari; ſed dogmata ſic damnata,
„ ſemper quoque ab omnibus Catholicis fuiſſe rejecta. Ergo non
„ ideo debent illæ determinationes dici, haberi certæ atque infal-
„ libiles, quia Eccleſia Catholica eas accipit; ſed contra, ideo Ec-
„ cleſia eas accipit, & ſemper recipit, quia à Summo Paſtore, quem
„ agnoſcit fundamentum, & pro cujus ſtabilitate novit oraſſe
„ Chriſtum, proficiſcuntur".

Pergit in altero ibidem Tractatu, de Conciliis Eccleſiaſticis, Dub. 3. n. 55. talem formans Concluſionem. "Concilia, non tan-
„ tùm particularia, ſed etiam univerſalia, abſque Pontificis con-
„ firmatione, aut approbatione, non ſunt infallibilis authoritatis,
„ etſi quoque in iiſdem præſint Romanæ Sedis Legati. De Con-
„ ciliis particularibus, eſt certa, & communis ſententia. Et pro-
„ bari poteſt, ex c. 2. diſt. 18. De Conciliis Generalibus omnino
„ videtur dicendum, poſſe errare, ante confirmationem Pontificis
„ accedentem. n. 64. Quia mittuntur acta ad Pontificem con-

„ firmanda,& poteſt ea approbare, aut reprobare, ut colligitur ex „ Gelaſio PP. ad Epiſcopos Dardaniæ, & ex Epiſt. Nicolai Papæ „ ad Michaëlem Imperatorem, & ex praxi Conciliorum peten„ tium confirmationem, & nominatím ex Bulla Pii IV. in qua „ confirmat Concilium Tridentinum. n.66. Quia ergo Romanus „ Pontifex, non merus Præſes eſt Concilii, ſed etiam Summus „ Princeps, & Paſtor Eccleſiæ, poteſt emendare, aut retractare, „ quod à corpore Concilii, eſt judicatum: idque juſtiore ratione „ ei attribuitur: quia ipſius eſt confirmare, & dirigere Fratres „ ſuos: & ad hoc habet Spiritus Sancti aſſiſtentiam, ne erret, ut „ ex antedictis de Pontifice conſtat n. 67. Tametſi enim Legati „ præſideant nomine Pontificis, tamen non ſunt reverà Pontifex, „ nec habent privilegium infallibilis aſſiſtentiæ, & non errandi „ in Eccleſia univerſaliter docenda, & in recta fide confirmanda, „ quod Petro fuit per Chriſti orationem impetratum". Dub. 4. „ n.70. & 71. Concilium Generale ſeorſim ſumptum ſine Ponti„ fice, id eſt, ipſo abſente, aut non conſentiente, vel contradi„ cente, alioquin legitimè congregatum, non eſt ſupra Pontifi„ cem, nec paris poteſtatis, ſed Pontifex eſt ſupra ipſum Conci„ lium, utpote, qui Concilii Caput eſt n. 75. Concluſio eſt certò „ tenenda, utpotè Fidei proxima, & quæ ab omnibus penè com„ muniter doceatur. Et probatur. Quia teſtimonia Scripturæ Sa„ cræ ſupra in Tract. de Pontifice allegata cum explicationibus „ SS. Patrum non tantùm oſtendunt Petrum fuiſſe Caput conſti„ tutum ſingulorum Fidelium, ſed etiam omnium quantumlibet „ ſimul congregatorum. Quia Matth. 16. dicuntur non ſinguli „ fideles ædificandi ſuper Petrâ, quæ erat Petrus, ſed Eccleſia dici„ tur ſuper petrâ illâ ædificanda. Eccleſia autem non ſignificat ſepa„ ratim ſingulos, ſed nomen collectivum eſt: ſignificat populum in „ unum convocatum. Ergo à Petro tamquam fundamento non „ pendent tantùm ſinguli Fideles, aut particulares Eccleſiæ ſe„ orſim ſumptæ, ſed etiam omnes quomodolibet ſimul accepti, & „ congregati: quia ſic propriiſſimè dicuntur Eccleſia: atque ita „ etiam totius congregationis ipſe fundamentum, & Caput eſt: „ Et conſequenter neque ipſi ſimul congregati erunt ſupra Pe„ trum, ſed Petrus ſupra ipſos. Rurſum dicitur ibidem, quod *portæ*

" *inferi non pravalebunt*, non contra particulares homines Chriſtianos,
" aut particulares Eccleſias, (hoc enim falſum eſt) ſed ſimpliciter,
" quod non adverſus Eccleſiam ædificatam ſuper hanc Petram.
„ Ergo tota ipſa Eccleſia collectivè ſumpta eſt, quæ munitur, &
„ ſuſtentatur ab hac petra. Non igitur ipſa petra dependens eſt
" ab Eccleſia, etiam univerſaliter congregata. Item Joan. 21.
" conſtituitur Petrus, Paſtor agnorum, & ovium: Paſtor autem
" non tantum præeſt ſingulis ovibus, ſed etiam toti gregi, & toti
" ovili. N. 84. Similiter manifeſtum eſt, quod Pontifices ſæpiùs
„ Concilia reprobaverint, aliquando in totum, aliquando in
„ parte. Unde D. Baſilius Epiſt. 82. ad Athanaſium ſcribit, con-
" ſultum ſibi videri, ut rogetur Romanus Pontifex, quatenùs mit-
" tat aliquos in Græciam, qui ejus nomine revocent, & irritent
„ acta Concilii Ariminenſis, quod etiam Damaſus præſtitit. Leo
„ quoque certam conſtitutionem Concilii Chalcedonenſis annul-
" lavit. Præterea Concilium Generale ſine Pontifice errare po-
" teſt: Pontifex autem, etiam ſine Concilio Generali, non poteſt
" errare, prout ſupra fuit oſtenſum. Denique ſi res ita ſe haberet,
„ ſicut alii volunt, & explicant, jam Pontifex non eſſet proxi-
„ mus, & immediatus Vicarius Chriſti, ſed tantùm ipſius Eccle-
" ſiæ: Eccleſia autem immediatè ſuſtineret vices Chriſti, quod
" eſt damnatum, ut apparet, in Concilio Conſtantienſi Seſſ. 8. inter
" articulos Wicleff, quorum unus erat: Pontifex non eſt imme-
„ diatus, & proximus Vicarius Chriſti &c.

Joanni Wiggers conſonat, præclarus in hæreſes novellas athleta P. Henricus Lancelottus Eremita Auguſtinianus, Lovanii Doctoris Laureâ à Facultate Theologica donatus, ſui Ordinis per omnem Rheno adjacentem Provinciam, & Sueviam Delegatus Generalis, verbi facundiâ, regendi peritiâ, rerumque agendarum induſtriâ perinde, ac eruditione, & heroïcâ virtute inſignis, profligandis ubique Sectariis, Apoſtolicæ Sedis juratis hoſtibus totus incubuit: quos ad exemplum Magni Patris S. Auguſtini, cujus doctrinâ ac zelo erat imbutus, diverſis in Regionibus, Franconia, Palatinatu, Trevirenſi, Leodienſi, Ultrajectenſi territoriis, Brabantia, Flandria, Hollandia, Zeelandia, tum multivariis diſputationum certaminibus, tum ſcriptis, fortiſſimè exagitavit, & Catholicæ Religionis

cauſam

cauſam gnaviter agens; pro Primatu, ac authoritate Romani Pontificis infracto ſemper ſtetit animo, quem pluribus editis libris prodidit. In illo, quem *Hæreticum Quare, per Catholicum Quia, clarè ſolutum*, intitulavit, "ad IX. Quare, *de Primatu Papæ*, Reſpondet. „Schola orthodoxæ Sapientiæ, ac totius antiquitatis D. Petro, „ejuſque Succeſſori, Pontifici Romano conformiter Scripturis, „attribuit totius Eccleſiæ Primatum. Primò, Joan. ult. v. 15. „& 16. Secundò Matth. 16. v. 18. & 19. Corollariè ſequitur, „Petrum fuiſſe fundamentum, & totius Eccleſiæ Caput, cui, „cum Pontifex Romanus Canonicè electus ſuccedat, neceſſe „item eſt, Eccleſiæ eſſe Caput, atque ut talem à nobis honorari. „Eadem id Scripturæ loca juncta Patrum traditione convincunt. „Primo, verbum illud, *ædificabo*, perpetuitatem deſignat. Secundò, *Eccleſia*, de qua hìc Chriſtus loquitur, illam indubiè deſignat, „quæ juxta certiſſimas ejus promiſſiones, ad finem uſque mundi „durabit: hanc autem Eccleſiam ita perpetuò duraturam, ſupra „ipſam D. Petri individuam perſonam ſolam non potuit ædificare, mortalis enim erat, & *ducendus*, *quo ipſe non vellet*. Proinde „D. Petrum, & Succeſſores ejus intellexit, *Vt* (optimè D. Thomas de Aquino l. 4. cont. Gent. cap. 76.) *oſtenderetur poteſtas Clavium*, (ſeu Capitis) *per eum ad alios derivanda ad conſervandam Eccleſiæ unitatem, & pro utilitate Eccleſiæ uſque ad finem ſæculi. Per hoc autem excluditur quorumdam præſumptuoſus error, qui ſe ſubducere nituntur ab obedientia & ſubjectione Petri, Succeſſorem ejus, Romanum Pontificem, Vniverſalis Eccleſiæ Paſtorem non recognoſcentes.*" Tertiò, verbis illis, *Paſce oves* „*meas*, ſupremus eſt D. Petrus Dominici ovilis Paſtor conſtitu-„tus. Atqui Paſtoris officium, eſt Ordinarium, non, uti Apoſto-„latus, extraordinarium, vel ipſo Calvino teſte. Habet ergo in „hoc paſcendi, regendi, præſidendi, ducendi, & ut oves debitè „pareant, cogendi officio, Ordinarium Succeſſorem, ut non abs re „D Auguſt. Epiſt. 92. Innocentio ſcribens, dicat: *Arbitramur* „*authoritati Sanctitatis tuæ, de SS. Scripturarum authoritate depromptæ* „*faciliùs eos, qui tam perverſa, & pernicioſa ſentiunt, eſſe ceſſuros.* N. 7. „Jam verò ex teſtimoniis omnium ferè ætatum locupletiſſimis „conſtat, nullos Epiſcopos, vel Pontifices, præter Romanos „continuâ ſucceſſionis ſeriè, in D. Petri locum Sedemque ab

„ Eccleſia fuiſſe receptos, abſque ulla poteſtatis reſtrictione: quin
„ imò, ad eos ſolos, velut ad D. Petri in eadem poteſtate Succeſ-
„ ſores, per omnes Eccleſiæ ætates, majores fidei, cultus Sacra-
„ mentorum, cæremoniarum, adeoque totius politiæ ſpiritualis
„ cauſas fuiſſe relatas. Reſpexerunt huc omnes ferè Patres, cum
„ Græci, tum Latini, Athanaſius, Theophylactus, Chryſoſtomus,
„ Cyprianus, Auguſtinus variis locis docens, Pontifices Roma-
„ nos, & in iis maximè Melchiadem, ante tempora ſua, in cauſis
„ Epiſcoporum judicio præſediſſe, de Eccleſiæ Catholicæ doctrina
„ judicium tuliſſe, hæreſes damnaſſe, &c. De quibus plura Epi-
„ ſtola 162. ad Epiſcopos Donatiſt. & Epiſt. 166. & 95. & 157.
„ Ergo quemadmodum unum eſt Chriſti in terris ovile, ita unus
„ eſt Paſtor, unum Caput, unus Summus omnium Epiſcoporum
„ Epiſcopus, unus omnium controverſiarum Judex.

Pro quo N. 12. dico: " Pontifex Romanus, ſive cum Concilio
„ Generali, ſive abſque eo, ſi ſuis adhibitis aliquid definiat, abſo-
„ lutè errare non poteſt: quando ſcilicet definit eſſe de fide te-
„ nendum, vel præcipit ſub anathemate, ut omnes ita ſentiant, ac
„ dicant. Ratio eſt. Quia D. Petrus, ejuſque Succeſſores, Eccle-
„ ſiæ ſunt Petra, & Fundamentum: è quo ſequitur neceſſariò, eo-
„ rumdem fidem, ſolidam, atque rupis inſtar, firmam conſtare: id
„ enim Petræ nomine ſignificatur: fieri ergo nequit, ut ipſi er-
„ rent, dum Eccleſiam docent. Nam ſi fundamentum vacillet,
„ atque evertatur, neceſſe eſt molem impoſitam collabi. Conſe-
„ quenter, *Infernorum portæ prævalebunt adverſus eam*, quod apertæ
„ promiſſioni Chriſti repugnare, eſt in confeſſo". Ad 12. Quare;
„ de Conciliorum General. infallibili authoritate, Reſpond.
„ Nullum Concilium, etiam Generale, authoritate Summi Pon-
„ tificis, præcipuos Eccleſiæ Prælatos, id eſt, Epiſcopos, & iis
„ Superiores convocantis, indictum, infallibilem habet authorita-
„ tem definiendi per ſe, ſeclusâ Romani Pontificis approbatione.
„ Quod eâ ratione manifeſtè confirmamus, quod aliqua talia,
„ quandoque erraverint, ut Ariminenſe, ſimiliter Mediolanenſe,
„ quod confirmavit hæreſim Arrii. Quia authoritas Capitis non
„ eſt in hoc Concilio: nec tali Concilio facta eſt promiſſio infal-
„ libilis aſſiſtentiæ in definiendis Fidei rebus, ſed Capiti dun-

„ taxat. N. 15. In qua Concilii definitione licet Epiſcopi ſint „ Judices, ſunt tamen inferiores Judices, Papa autem eſt Judex „ Supremus, & ſicut Rex in regno, qui poteſt inferiorum Judi- „ cum ſententias, etiam majore parte relictâ, retractare".

Decurſus huc, uſque Doctorum Lovanienſium elenchus rectà, nunc ducit ad celeberrimum Orthodoxæ Sapientiæ Domicilium, Joannem Sinnichium totius Academiæ, ac Theologicæ Facultatis ſingulare decus & ornamentum. Omnigenæ Virtutis pariter, ac profondiſſimæ Doctrinæ Profeſſor, numquam ſatis laudatus, ſublimiſſimi ingenii acumine illuſtris, quod infatigabili ſtudio, ac labore inceſſanter ita excoluit, ut omnes in ſui admirationem, ac venerationem raperet. Apoſtolicæ Sedis nedum cultorem devotiſſimum, verùm etiam vindicem fortiſſimum ſeſe toti Reipublicæ Chriſtianæ palàm comprobavit, quando Lutheranum *Confeſſioniſtarum Goliathum*, in Cæſareis Comitiis Francofordiæ non ita pridem prodire auſum, ſtylo victrice, & ex Sacrarum Litterarum, Patrumque monumentis deprompto, velut alter David, glorioſè profligavit. Tantus proinde *ſynceræ fidei, & devotionis in Sanctam Sedem affectus* (quem hiſce verbis laudat Sua Sanctitas in diplomate ad ipſum dato) *ſibi, nec non ſingulis ſuis conſanguineis, & affinibus uſque ad tertium gradum incluſivè, plenariam peccatorum Indulgentiam in mortis articulo, authoritate Apoſtolicâ impartiendam* promeruit. Ipſe viciſſim in grati animi argumentum, altiſſimæ, ac perpetuæ erga Romanam Cathedram ſubmiſſionis profeſſionem ultimæ ſuæ voluntatis tabulis expreſſam voluit. Nulla in præfato opere dictio aut periocha vel minima occurrit, quæ ſecum perſpicuum probatiſſimæ veritatis teſtimonium, & ineluctabile pondus non adferat. Pluribus ſparſim locis infallibilem in rebus fidei, ac morum definiendis Romani Pontificis Authoritatem omni Oecumenio Concilio Superiorem, ipſiuſque unius judicium ab Eccleſia, ſeu Synodi conſenſu independens, ac irreformabile (ſed à quo è contra potiùs cujuſvis Concilii determinatio, ut ab errore immunis ſit, neceſſariò dependet, ac approbatione indiget) patenter ſequentibus capitibus, & aſſertionibus evincit. "Cap. 72. in Synopſi, & §. 225. Petrus „ Chriſti Vicarius, Chriſtiani ovilis Paſtor, Eccleſiæ navigan- „ tis, Archi-Gubernius, ejuſdem conſiſtentis firmamentum

„ Quod ei, Eccleſiæ futuro Monarchæ, dictum fuit Matth. 16.
" v. 18. & 19. per formam promiſſionis, reipſâ impletum eſt per
" actualem præſtationem, dicente ei Domino Joan. 21. *Paſce agnos*
" *meos, paſce oves meas.* Hunc Paſtorem præſignaverat Monarchicè
„ paſturum oves ſuas univerſas, quando ibid. Superiùs aiebat. *Fiet*
„ *unum ovile, & unus Paſtor.* Quod hìc appellatur *unum ovile*, alibi
" *una* nuncupatur *navis* (inquit Ambroſius) *quæ adhuc ſecundùm*
" *Matthæum fluctuat. Non turbatur hæc navis, in qua prudentia navigat,*
„ *abeſt perfidia, fides aſpirat. Quemadmodum enim, turbari poterat, cui*
„ *præerat is, in quo Eccleſiæ firmamentum eſt.* Petrum vocat *Eccleſiæ Fir-*
„ *mamentum:* quia ſuper eum rupeâ firmitate donatum ædificanda
" Eccleſia fuit. Item quia ipſe eſt, cui ſpecialiter dictum eſt. Lu-
" cæ 22. *Confirma fratres tuos.* Quomodo enim confirmare reliquos
„ poſſet, niſi firmitudine in ſeipſo præpollens. Ad hujus igitur
„ Paſtoris, Gubernatoris, & fratrum Confirmatoris tribunal defe-
" rendæ ſunt controverſiæ ſuper Religione in ovili ſibi commiſſo,
" in navi ſibi concredita incidentes. Cum enim ad hujus tribunal
" deferuntur, ad Dei, cujus vice fungitur, & authoritate fulcitur,
„ tribunal deferuntur. Huic peculiariter dictum à Domino fuiſſe
" legimus. *Duc in altum.* Cæteris dumtaxat. *Laxate retia veſtra in*
" *capturam,* Lucæ 5. *Etſi aliis* (inquit ibi D. Ambroſius) *imperatur,*
" *ut laxent retia ſua, ſoli tamen Petro dicitur. Duc in altum. Hoc eſt: in*
„ *profundum diſputationum".* Et cap. 67. §. 219. "Cyprianus lib. de
„ unit. Eccleſ. poſtquam memoraſſet varios diaboli aſtus, & ar-
" tes, quibus homines, ab Eccleſia abſtractos, in hæreſes, &
" ſchiſmata præcipitat, mox cauſam hujuſmodi Apoſtaſiarum aſ-
" ſignans ait. *Hoc eo fit, dum ad veritatis originem non reditur, nec Ca-*
„ *put quæritur, nec Magiſtri cæleſtis doctrina ſervatur. Loquitur Dominus*
„ *ad Petrum. Matth: 16. Et ego dico tibi, quia tu es Petrus &c. Et tibi*
" *dabo claves Regni Cælorum. Et iterum poſt reſurrectionem ſuam paſce oves*
" *meas. Super illum unum ædificat Eccleſiam ſuam, & illi paſcendas man-*
„ *dat oves ſuas. Vt unitatem manifeſtaret, unam Cathedram Conſtituit, &*
„ *unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſuâ authoritate diſpoſuit.*
„ *Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtre-*
" *tur.* Quibus & illud addit Optatus Milevitanus lib. 2. contra
Parmen. *Cathedra una eſt: & negare non potes, ſcire te in Vrbe Roma,*

Petro

,, *Petro primùm Cathedram Epiſcopalem eſſe collatam: in qua ſederit om-*
" *nium Apoſtolorum Caput, Petrus; inde Cephas appellatus, in quo uno Ca-*
" *thedræ unitas ab omnibus ſervaretur* &c. *inferi portas habere noſcuntur.*
" *Contra quas claves ſalutares accepiſſe, legimus, Petrum; Principem ſcilicet*
,, *noſtrum, cui à Chriſto dictum eſt. Tibi dabo claves Regni Cælorum, & portæ*
,, *inferi non vincent eas.* Et cap. 33. §. 107. " Sanè in diuturna illa
" cum mundi Principibus, & totius penè Orientis Patriarchis lu-
" cta apparuit, quàm non inaniter pro ſide Petri, ſpecialis à Chri-
" ſto fuſa ſit Oratio, cui ait *Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua.*
,, Luc. 22. *Specialis* (ait Papa Leo Serm. 3. de Aſſumpt. ſua) *à Do-*
,, *mino cura Petri ſuſcipitur, & pro fide Petri propriè ſupplicatur, tamquam*
" *aliorum ſtatus, certior ſit futurus; ſi mens Principis victa non fuerit. In*
" *Petro ergo omnium fortitudo munitur, & Divinæ gratiæ ita ordinatur au-*
" *xilium, ut firmitas, quæ per Chriſtum Petro tribuitur, per Petrum Apoſto-*
,, *lis conferatur,* " & per Petrum Univerſæ Eccleſiæ Paſtoribus".
,, *Soliditas enim illius Fidei,* (inquit idem ſuperius Serm. 2.) *quæ in*
" *Apoſtolorum Principe, eſt laudata, perpetua eſt. Et ſicut permanet, quod*
" *in Chriſto Petrus credidit, ita permanet, quod in Petro Chriſtus inſtituit.*
,, *Si quid itaque à nobis rectè agitur, rectèq; diſponitur, illius eſt operum at-*
,, *que meritorum, cujus in Sede ſua vivit poteſtas, & excellit authoritas.*
" Cum in Chalcedonenſi Synodo fuiſſet lecta Leonis Epiſtola ad
" Flavianum, contra dogma Eutychetis, R^mi^. Epiſcopi clamave-
" runt. *Hæc Patrum fides: hæc Apoſtolorum fides; omnes ita credimus: Or-*
,, *thodoxi ita credunt: Anathema ei, qui ita non credit: Petrus per Leonem*
,, *ita locutus eſt.* Ecce quemadmodum *Petri in ſua Sede vivit poteſtas,*
,, *& excellit authoritas*".

,, Et cap. 69. §. 224. Malè habet Provocantios, quod Papa
" Romanus cum aſſeclis, omnes à ſe, tamquam omnium in Re-
" ligione Controverſiarum judice diſſentientes, damnet hære-
" ſeos. Verùm audiant, quid de judicio controverſiarum Fidei
,, ſcribat Valentinianus III. ad Collegam Imperii, Patremque
,, ſuum Theodoſium Juniorem. *Fidem* (inquiens) *à noſtris Majori-*
" *joribus traditam, debemus nos cum omni competenti devotione defendere,*
" *& dignitatem propriæ venerationis B. Apoſtolo Petro intemeratam in no-*
,, *ſtris temporibus conſervare. Quatenus Beatiſſimus Romanæ Civitatis Epi-*
,, *ſcopus, cui Principatum Sacerdotii ſuper omnes antiquitas contulit, locum*
habeat,

„ *habeat, & facultatem, de Fide, ac Sacerdotibus judicare* Extat præte-
„ rea inter Decreta Bonifacii II. Papæ exemplar profeſſionis Ju-
„ ſtiniani Cæſaris ita ſonans. *Quia non poteſt D. N. Ieſu Chriſti præ-
„ termitti ſententia dicentis, Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo
„ Eccleſiam meam, hæc quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus. Quia in
„ Sede Apoſtolica, extra maculam ſemper eſt Catholica ſervata Religio. De
„ qua ſpe, & fide minimè ſeparari cupientes, & Patrum conſtituta ſequen-
„ tes, anathematizamus omnes, qui contra Romanam, & Apoſtolicam Ec-
„ cleſiam ſuperbiendo ſuas erigunt cervices: ſequentes in omnibus Apoſtoli-
„ cam Sedem, & prædicantes ejus omnia conſtituta, in qua eſt integra, &
„ vera Chriſtianæ Religionis, & perfecta ſoliditas.* Huic profeſſioni
„ aliam non abſimilem exhibuimus ſuperius cap. 32. §. 150. quam
„ Joannes Conſtantinopolitanus Patriarcha miſit ad Papam Hor-
„ miſdam, & quam emittere debebant Orientales paſſim omnes,
„ qui poſt ſchiſma Acacianum reconciliabantur Apoſtolicæ Sedi".
Ejus, poſt initium, (quod idem eſt cum præcedenti) tenor erat".
„ *Quia in Sede Apoſtolica, inviolabilis ſemper Catholica cuſtoditur Religio,*
„ &c. *Suſcipimus, & probamus Epiſtolas B. Leonis Papæ, Vrbis Romæ
„ univerſas, quas de recta fide, & Chriſtiana Religione conſcripſit. Qua-
„ propter ſequentes in omnibus Apoſtolicam Sedem, prædicamus omnia, quæ
„ ab ipſa ſunt Decreta, in qua eſt integra Chriſtianæ Religionis, & perfecta
„ ſoliditas*".

Et cap. 75. §. 24." Apoſtolico Præſuli ſoli competit jus indi-
„ cendi, & confirmandi Concilia Generalia juxta antiquos ver-
„ ſus Canoniſtis notiſſimos. *Reſtituit Papa ſolus, deponit & ipſe, di-
„ vidit atque unit, eximit atque probat. Articulos ſolvit, Synodumq; facit
„ generalem, transfert, & mutat, appellat nullus ab ipſo.* Nulla porrò
„ Concilia habere poſſunt vim obligandi Univerſam Eccleſiam in
„ fide, aut moribus, niſi fuerint Pontificio calculo comprobrata.
„ Hinc quædam Concilia, quantumvis generaliter indicta, defectu
„ Pontificiæ approbationis, robore authoritatis caruerunt, & ca-
„ rent. E contrario autem, Concilia quædam particularia, robur
„ authoritatis habuerunt, & habent, eo quod eorum Conſtitu-
„ tionibus Pontificia approbatio acceſſerit. Cujus rei exemplum
„ ſumi poteſt de Conciliis illis Africanis, quæ quidem particula-
„ ria ab initio fuerant, ſed accedente Apoſtolicorum Præſulum

appro-

„ approbatione, generalem obligandi vim, & authoritatem adep-
„ ta ſunt". Et cap. 69 §. 225. Oecumenica quoque Chalcedo-
„ nenſis Synodus non ſolùm juxta præviam Papæ Leonis inſtru-
„ ctionem damnavit errorem Eutychetis, ſed confirmationem
„ quoque ſanctionum ſuarum ab eodem poſtulavit, & impetravit.
„ Synodi verba ad ipſum ſunt: *Omnem vobis geſtorum vim inſinuavi-
„ mus, ad comprobationem noſtræ ſynceritatis, & ad eorum, quæ à nobis
„ geſta ſunt confirmationem, atque conſenſionem*". Cap. 33. §. 108.
„ Unde Nicolaus PP. adversùs quoſdam, contendentes, non egere
„ Synodos confirmatione Apoſtolicæ Sedis, ita ſcribit ad Michaë-
„ lem Imperatorem. *Quomodo non egeat*, quælibet Synodus Roma-
„ næ Sedis authoritate, quando in Epheſino latrocinio, cunctis
„ Præſulibus, & ipſis quoque Patriarchis prolabentibus, niſi
„ Magnus Leo, imitator ſcilicet illius Leonis, de quo ſcriptum
„ eſt, Vicit Leo de tribu Juda, divinitus excitatus, os aperiens,
„ totum Orbem, & ipſos quoque Auguſtos concuteret, *& ad pie-
„ tatem commoveret, Religio Catholica penitus corruiſſet*".

Sacrum agmen claudit Magnus ille Librorum helluo & Scriptor, Chriſtianus Lupus, Ord. Eremit. S. P. Auguſtini Religioſus, nulli eruditione, ac virtute ſecundus, cujus utriuſque ſingularem ſibi famam per Orbem Chriſtianum comparavit. Summis Pontificibus propterea, Purpuratis Patribus, aliiſque ſæculi Principibus non acceptus modò, ſed & in pretio fuit. Intenſiſſimo Theologiæ ſtudio inſatiabiliter incumbens, per vaſtiſſimam SS. Litterarum, Eccleſiaſticorum Canonum, Conciliorum, Veterum Patrum, ac ætatum ſylvam inſtar *Lupi Rapacis* prædam egit, & recondidit, ut prompto, ac prodigo calamo poſteris diſpartiretur. Memoriæ quippe adeo tenacis erat, ac prodigioſæ, ut antiquitatis promptuarium dici jure merito potuerit, & Romæ paſſim, *Bibliotheca ambulans* audiret. Fidem faciunt litterariæ vetuſtatis rara & exquiſitiſſima monumenta, quibus opera ejus elaboratiſſima, multifariàm referta, conſpiciuntur. In omnibus, & per omnia, pro debiti ſui ratione, Apoſtolicam Rom: Sedis authoritatem fortiter vindicare ſategit, ut ſequentia ex ipſius Scholiis & Notis ad Can. VI. Concilii excerpta palam faciunt. Ubi c. 6. p. 815. hæc ſequuntur. " Romanam
" Cathedram, ac ex illa docentem Romanum Epiſcopum, errare in

„ fide non poſſe ,eſt divinum iſtius Eccleſiæ Privilegium,ac perpe-„ tuæ gloriæ ſupremum faſtigium. Romanam Eccleſiam numquam „ in fide erraſſe, atque errare non poſſe,non eſt commentum Aga-„ thonis. Quis enim Sim. Magum,Montanum,Polycratem,Atte-„ monem, Paulum Samoſatenſem, Originem, errorem S. Cypria-„ ni , alioſque olim plures damnavit , niſi ſola Sedes Apoſtolica? „ S. Firmilianum Cæſareenſem in Cappadociâ Archiepiſcopum, „ Ponticæ Diœceſeos Primatem , quod Romanam Eccleſiam de „ Apoſtolici dogmatis, ac Traditionis prævaricatione traduceret, „ Sanctus Stephanus Pontifex à Communione ſuſpendit , & om-„ nis ſub cælo Eccleſia eſt averſata. Et palmaris , quam in Tertul-„ liano etiam hodie deteſtamur , præſumptio fuit, quod Zephyrini „ Pontificis pro Mœchis decretum auſus fuerit ejuſdem lapsûs ac-„ cuſare. Gratianus, ac Theodoſius Augusti , dum Arii, Eunomii, „ Macedonii , Apollinarii, Marcelli, aliorumque erronum graſſan-„ tem ſuo tempore impietatem ſuppriment, omnem Eccleſiam „ coëgerunt ad Damaſi Pontificis fidem,& communionem , eam-„ que legem Theodoretus laudat in hiſtoriâ Eccleſiaſticâ, l. 5. „ c. 2. & non tantùm Theodoſius Junior , ſed & Juſtinianus Au-„ guſtus ſuo Codici inſcripſit : quod nempe Romanus Epiſcopus „ ſit Fidei petra immobilis, & immaculabilis radix communionis. „ Sanctus Ambroſius lib. 2. de fide cap. 4. laudat Italiam , *quod* „ *ſemper Confeſſores mittere ſoleat*, in fide, *aliquando tentata , mutata nun-* „ *quam:* utique ob Sedem Romanam cui ſemper firma adhæſit. Et „ Sanctus Hieronymus ſcribit adversùs Ruffinum lib. 3. cap. 4. „ *Scito Romanam fidem Apoſtolicâ voce laudatam , iſtiuſmodi præſtigias non* „ *recipere , etiamſi Angelus aliter annunciet , quàm ſemel prædicatum eſt :* „ *Pauli auctoritate munitam non poſſe mutari.* Et Gelaſius Pontifex ad „ Anaſtaſium Auguſtum Epiſt.8. *Hoc eſt , quod Sedes Apoſtolica magno-* „ *pere cavet, ut, quia mundo radix eſt Apoſtoli glorioſa confeſſio , nullâ rimâ* „ *pravitatis, nullâ prorſus contagione maculetur. Nam ſi, quod Deus avertat,* „ *quod fieri non poſſe confidimus , tale aliquid proveniret , unde umquam re-* „ *ſiſtere auderemus errori ?* Et Julianum Pelagiani erroris ducem, ap-„ pellantem aſſiduè Generale Concilium , ad Sedis Apoſtolicæ „ auctoritatem , ut irrefragabilem, ac indeclinabilem regulam, re-„ vocat aſſiduè Sanctus Auguſtinus. Quod ipſum in libro adver-

ſùs

„ sùs Collatorem, & in carmine de ingratis repetit Sanctus Proſ-
„ per. Hormiſda Pontifex Græcorum Epiſcopos, ex Acaciano
„ ſchiſmate ad pœnitentiam ac unitatem redeuntes, coëgit ad hanc
„ profeſſionem: *Quia non poteſt Domini noſtri Ieſu Chriſti prætermitti*
„ *ſententia, dicentis: Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam*
„ *meam. Hæc, quæ dicta ſunt, rerum probantur effectibus. Quia in Sede*
„ *Apoſtolicâ, immaculata ſemper eſt ſervata religio.* Eamque profeſſio-
„ nem illi omnes promptè fecerunt. Et Pelagius Secundus Ponti-
„ fex, in litteris ad Eliam Archi-Epiſcopum Aquilegienſem,
„ Epiſt. 5. hanc Domini Orationem, *Rogavi ut non deficiat fides tua,*
„ fuſam aſſerit pro ſolo Petro Apoſtolo, ideoque Romanæ Ec-
„ cleſiæ fidem *in æternum quaſſari non poſſe, aut mutari.* Et Theodo-
„ retus Cyri apud Eufraten Epiſcopus, ſcribit ad Renatum Ro-
„ manæ Eccleſiæ Præsbyterum, Epiſt. 116. *Habet ſanctiſsima illa*
„ *Sedes, Eccleſiarum, quæ in toto ſunt Orbe, Principatum multis nominibus,*
„ *atque hoc ante omnia, quod ab hæreticâ tabe immunis manſit, nec ullus*
„ *contraria ſentiens in illa ſedit, ſed Apoſtolicam gratiam integram conſer-*
„ *vavit.* Legenda eſt ejuſdem doctiſſima Epiſtola atque profeſſio
„ ad S. Leonem Pontificem Epiſt. 113. Et Sanctus Sophronius
„ Patriarcha Hieroſolymitanus Stephanum Dorenſem Epiſcopum
„ in Sancto Calvariæ loco adjuravit ad iter Romanum adversùs
„ Monothelitas, quòd iſtic ab antiquo ſint dogmatum rectorum
„ fundamenta. Et ipſe Hæreſiarcha Sergius ad Theodorum Pon-
„ tificem ſcripſit, quod Chriſtus Dominus noſter Romanam Ec-
„ cleſiam conſtituerit fixum & immobile fundamentum, fidei for-
„ mam lucidiſſimam, ſuſtentaculum columnarum Eccleſiæ: ejuſ-
„ que Epiſcopum eſſe profanarum hæreſeon diſſipatorem, Prin-
„ cipem, atque Doctorem orthodoxæ ac immaculatæ fidei. Exſtat
„ Epiſtola in ſecundo Secretario Synodi Lateranenſis ſub Martino
„ Primo. Legenda eſt ibidem Synodalis Epiſtola Epiſcoporum
„ Numidiæ, Byzacii, ac Mauritaniæ ad eundem Theodorum. Et
„ in litteris ad Leonem II. Pontificem, noſtræ Synodi confirmato-
„ riis, ſcribit Conſtantinus Auguſtus, Apoſtolicam Sedem eſſe *eam*
„ *petram, ſuper quam Dominus fundavit Eccleſiam, & prædixit nunquam*
„ *fore, ut portæ inferi, hoc eſt, hæreticæ inſidiæ adverſus eam prævalerent.*
„ Et Joſephus Methonenſis Epiſcopus in Florentini Concilii ad-

"versùs Marcum Epheſiorum Primatem Apologiâ: *In Romanæ*
" *Eccleſia nec infidelitas, nec turpe dogma unquam manſit.* Et Sanctus
" Bernardus in litteris ad Innocentium Secundum Pontificem
" Epiſt. 190. *Dignum arbitror, ibi potiſſimùm reſarciri damna fidei, ubi*
" *non poſſit fides ſentire defectum. Hæc quippe hujus prærogativa Sedis:*
" *cui enim alteri aliquando dictum eſt: Ego pro te rogavi Petre, ut non de-*
" *ficiat fides tua? Ergo quod ſequitur, à Petri Succeſſore exigitur; & tu ali-*
" *quando converſus confirma fratres tuos.* Quocirca omnino rectè in
" Dictatu ſuo definivit Gregorius Papa Septimus: *Quod Romana*
" *Eccleſia nunquam erravit, nec in perpetuum, Scripturâ teſtante errabit.*
" Et hinc dogmatica Apoſtolicæ Sedis ad Synodum Generalem
" Epiſtola virtutem ſemper habuit, atque habebit, non tantùm
" primi ſuffragii, ſed plenæ, atque irretractabilis definitionis. Quid
" enim aliud egit Epheſina Synodus, quàm firmare Celeſtini Pon-
" tificis in Neſtorium decreta? Quid magna Chalcedonenſis, niſi
" acclamare Epiſtolæ Sancti Leonis, eam laudare, ut firmamen-
" tum totius Orthodoxiæ, ac Epiſcopis ad ejus receptionem hæ-
" ſitantibus minari Romanam evocationem? Nec aliter actum in
" Nicæna Synodo, aut primâ Conſtantinopolitanâ. Ipſa hæc Sy-
" nodus (Sexta) in ſermone acclamatorio ad Principem profite-
" tur, aliud ſe non feciſſe, quàm *Agathonis Sanctiſſimi Patris ſui, &*
" *Summi Papæ dogmaticis litteris conſentire. Per Agathonem enim Petrus*
" *loquebatur.* Et in relatione ad eumdem Pontificem, *Tibi, ut primæ*
" *Sedis Antiſtiti Univerſalis Eccleſiæ, quid gerendum ſit, relinquimus, ſtanti*
" *ſupra firmam fidei petram, libenter perlectis veræ confeſſionis litteris à*
" *veſtra paterna Beatitudine miſsis, quas ut à ſummo Apoſtolorum vertice*
" *divinè perſcriptas agnoſcimus, per quas exortam nuper multiplicis erroris*
" *hæreticam ſectam depulimus.* Et S. Tharaſius Patriarcha Conſtanti-
" nopol. dogmaticas Adriani I. Pont. ad ſeptimam Synodum
" Act. 8. Litteras, ait, fuiſſe oculum directorem totius Synodalis
" corporis, ad ſemitam rectitudinis ac veritatis. Quam ſupremam
" authoritatem Apoſtolicis litteris fuiſſe in omni ſemper Gene-
" rali Synodo, oſtendit Nicolaus I. Pont. in Epiſt. ad Michaëlem
" Auguſt. Latius hæc dixi adverſùm, neſcio quos, noſtrorum tem-
" porum turbines, qui cum ſchiſmaticis, atque Euſebianis Græcis,
" cum Pſeudo-Synodo Baſileenſi, ac ſanctione pragmaticâ co-

nantur

" nantur Romani Epiſcopi in definiendis Fidei controverſiis in-
" fallibile judicium circumſcribere , & mutilare glorioſo illo pri-
" vilegio , de quo dixit Dominus ad Petrum , *Confirma fratres tuos.*
" Utique cunctos univerſæ Eccleſiæ Epiſcopos etiam in Generali
" Synodo adunatos". Hæc ibi.

Quæ alibi ipſe , & potiſſimùm *in Dictatu S. Gregorii VII. Pont.* per totum fusè deducens, & contraria Joannis Launoy commenta, erroreſque quàm ſolidiſſimè refutans, in Scholiis ad Canon. 21. ita pergit adſtruere pag. 729. " Reſpondeo, cunctis general.
" Synodorum Decretis, Apoſtolicæ Sedis confirmationem eſſe ne-
" ceſſariam. Hinc ſecunda Romana ſub Felice III. Synodus in
" litteris ad Regiæ Civitatis, atque Bityniæ Glerum , ex hac Do-
" mini ad Petrum Apoſtolum voce , *Tu es Petrus , & ſuper hanc pe-*
" *tram ædificabo Eccleſiam meam*, laudat Romanæ Eccleſiæ Primatum,
" & proſequitur , *Quam vocem ſequentes , trecenti decem & octo Sancti*
" *Patres apud Nicæam congregati , confirmationem rerum , atque authorita-*
" *tem Sanctæ Romanæ Eccleſiæ detulerunt. Quam utramque uſque ad æta-*
" *tem noſtram Succeſſores omnes cuſtodiunt.* In cujus confirmationem
" Author in Scholiis ad Canon. Concil. Nicæni pag. 125. ex
" Dionyſio Exiguo jam allegarat verba Sylveſtri PP. iſtius Concilii Acta confirmantis. Et in Scholiis ad Canon. Concilii primi Conſtantinop. pag. 304. & 307. quæſt. 7. reſponderat "iſtius
" Concilii fidem ab ipſo Damaſo confirmatam. Etenim ad Mel-
" chior. Bulgariæ Principem ſcribit in libro de ſeptem Synodis
" Photius Conſtantinopolitan. *Quibus haud multò poſt , & Damaſus*
" *Epiſcopus Romæ, eadem confirmans, atque idem ſentiens acceſſit* &c. At-
" que ita hanc Synodum fecit eſſe verè Generalem". Hinc in Dictatu S. Greg. VII. l. 2. pag. 730. ultra procedens ait". Quod
" Generales Synodi , & faciendæ ad Romanum Epiſcopum Rela-
" tionis , & ab ipſo expectandæ Confirmationis , onus & debi-
" tum habeant, ex Apoſtolico Canone demonſtrat magna Syno-
" dus Chalcedonenſis. Etenim hæc non ſolùm ſuos Canones ,
" ſed etiam fidei Decretum, ac Dioſcori degradationem , licet ex
" S. Leonis mandato , & ad ejus propoſitionem , & juxta ejus ſuf-
" fragium judicaſſet , omnino retulit eidem Pontifici , & ſuppli-
" cavit ab ipſo confirmari. Quid opus teſtibus ? Ipſe magnus Leo

„ ad Imperatorem Martianum ſcribit Epiſt. 59. *De quo quidem ratio* „ *non fuit ambigendi, cum ei fidei omnium ſubſcribendo conſenſus acceſſerit,* „ *quæ ad me ſecundùm formam Apoſtolicæ doctrinæ, & paternæ traditionis* „ *emiſſa eſt: & per Fratrem meum Lucianum Epiſcopum talia, & ad glo-* „ *riam veſtram, & Conſtantinopolitanum Antiſtitem ſcripta direxerim, quæ* „ *evidenter oſtendunt, me ea, quæ de Fide Catholica in prædicta Synodo de-* „ *finita ſunt, approbare.* Idem docet in Litteris ad Juvenalem Hie- „ roſolymæ, ac omnes Paleſtinæ Epiſcopos, Epiſt. 61. & in alia „ ad Anatolium Epiſt. 77. Quinti Concilii judicium tandem pro- „ bavit Romana Eccleſia", & Vigilius Pontifex." Apoſtolicam „ confirmationem poſtulavit Sextum Concilium in relatione ad „ S. Pontificem Agathonem. Quâ à ſeptima etiam & octava Sy- „ nodo, nec non ab Adriano primo, ac Adriano ſecundo fuiſſe „ facta, poſſit facilè demonſtrari. Et hinc de omni Generali Sy- „ nodo ſcribit ad Dardaniæ Epiſcopos S. Gelaſius. *Prima Sedès* „ *unamquamque Synodum ſuâ authoritate confirmat.*

" Pag. 735. exponitur alia quæſtio. An Generalis Synodus " ſine Pontifice non valeat de Fide definire. Joannes Launoyus " in Epiſt. ad Joannem Gerbaſium, affirmat valere. Probat ex " Conſtantienſi Synodo &c. Reſpondeo. Hæc adverſari primis, " ac fundamentalibus Eccleſiaſticæ Hierarchiæ principiis &c. " (Pag. 737.) & adducta in oppoſitum Argumenta ſunt nullius " ponderis. (Pag. 743.) in omnes ſine Papali ſuffragio judican- " tes, aut tractantes Synodos dici omnino poteſt ſupra laudatum " S. Gelaſii Elogium. *Quæ Sedes Apoſtolica, etiam petente Principe nul-* " *latenus approbavit, nullâ ratione ſuſtinet.* Et infra. *Totum in Apoſtolicâ* " *Sedis poſitum eſt poteſtate. Ita, quod firmavit in Synodo Sedes Apoſto-* " *lica, hoc robur obtinuit, quod refutavit, habere non potuit firmitatem. Et* " *ſola reſcidit, quod præter Ordinem Congregatio Synodica putaverat uſur-* " *pandum.* Lucidè affirmat ſolius Pontificis ſuffragium unanimi " totius Synodi ſuffragio eſſe potentius, ac prævalere. Affirmat, " iſto ſuffragio, ac mandato deſtitutas Synodos, nihil judicare poſ- " ſe, immo nec ventilare. Hinc Orientalibus Patriarchis, atque E- " piſcopis, quos ad talem Synodum convocare minabatur Impera- " tor Michael III. ſcripſit Nicolaus I. *vos ut antiquum morem ſerve-* " *tis, neque judicetis, neque approbetis quicquam ſine noſtra authoritate.*

Quod

" Quod nullus Epiſcopus, nullus Patriarcha, nulla Diœceſis, " nulla etiam œcumenica Synodus, ſine Romani Epiſcopi, atque ,, Romanæ Eccleſiæ authoritate definire poſſit de dogmaticis ,, quæſtionibus, Gallicana olim Eccleſia conſtantiſſimè tenuit. At- ,, que ita certum eſt, nobis rem novam à Joanne Launoyo præ- ,, dicari. Evidenter hoc lucet ex cauſa Gilberti Porretani Picta- ,, vienſis Epiſcopi". &c. Quâ in ſequentibus uſque ad finem §. ſignanter ex Ottonis Epiſcopi Friſingenſis relatione recitatâ diſ- curſum, hancque concluſionem pag. 748. ita format. " Quod i- ,, gitur ſola Apoſtolica Sedes de fide, aut Generali totius Eccleſiæ ,, diſciplinâ definire poſſit, rectiſſimè ex avito Gallicanæ etiam ,, Eccleſiæ ſenſu dixerunt nuper Domini Cardinales, & Joannes ,, Launoyus ſine fundamento impugnat". Finitque in hæc verba, " Hoc etiam tunc (temporibus Apoſtolorum) privativè ſpecta- ,, bat ad Petri è Synodali Cathedra judicium. Et hanc prærogati- ,, vam omnino ille firmavit in ſua Romana Cathedra. Et ita ſem- ,, per profeſſa fuit omnis vera Chriſtianitas. Oppoſitum eſt ,, damnanda novitas". Videatur de eiſdem ejuſdem ſcholion ad Canon. 16. pag. 495. & 497. & ſeq. fusè demonſtrans, " Sine ,, Romani Pontificis ſententia authoritativa non poſſe condi uni- ,, verſales Eccleſiæ Canones & irrita eſſe quævis Generalium Sy- ,, nodorum acta. Et non ſolum Pontificem, ſed & alios Epiſco- ,, pos Synodum celebrare, ac de fide definire: verùm celebran- ,, di, ac definiendi authoritatem eſſe penes ſolum Epiſcopum Ro- ,, manum". Item Scholion ad Canon. 18. pag. 548. & pag. 251. ,, oſtendens " Papam eſſe Generali Synodo Superiorem". Et ,, Scholion ad Canon. 19. uſque ad pag. 596.". Ubi expenditur ,, noviſſimum Joannis Launoy dogma", & pag. 610. Ubi expo- ,, nitur palmare fundamentum, ex quo aliqui Romanum Ponti- ,, ficem credunt Generali Concilio ſubjectum". Denique & ,, Scholion totum ad Canon. 22. à pag. 754. Ubi aſſeritur" Ro- ,, manum Pontificem extra generalem Synodum non poſſe circa ,, fidem falli, conſtanter admiſerunt octo generalia apud Græcos ,, celebrata Concilia, ut in ipſorum notis eſt abundè oſtenſum". ,, Et pag. 757. " Ejuſdem ſententiæ fuiſſe Gallicanam Eccle- ,, ſiam &c. pa. 769. in eam rem: " Orientalis Eccleſiæ ſenſus

„exponitur". Et pag. ſequenti aſſeveratur". Revera nullus in „ Oriente, niſi in errorem, aut Romanæ Eccleſiæ odium lapſus, „ Apoſtolicæ Cathedræ infallibilitatem unquam impugnavit".

Difficultas ex factis & ſcriptis S. CYPRIANI *Martyris objecta, enodatur.*

„ Verum (ait idem pag. 760.) hiſce omnibus graviter obſta„re videtur S. Cypriani Synodus, & controverſia adversùs „ S. Papam Stephanum. Cypriani anteceſſor Agrippinus exſuffla„ vit Hæreticorum Baptiſma, atque iteravit". Quem ſecutus, „ S. Cyprianus per multas multorum Collegarum Synodos con„ firmavit. At Sanctus Pontifex Stephanus reſcripſit. *Si quis à* „ *quacumque hæreſi venerit ad nos, nihil innovetur, niſi quod traditum eſt,* „ *ut manus illi imponantur in pœnitentiam.* (pag. 761.) Verùm in ſua „ ſententia perſtitit Cyprianus, aſſeverans, aſſertam à Romanis „ conſuetudinem non eſſe traditionem Apoſtolicam, & Stepha„ num ut Hæreticorum fautorem oneravit multis illæſi animi elo„ giis; de quibus in libris de Baptiſmo rectè S. Auguſtinus lib. 5. „ de Baptiſm. cap. 25. Quæ in Stephanum Cyprianus *irritatus effu-* „ *dit, retractare nolo*".

Reſpondet autem Cyprianum, Fimilianum, alioſque ſequaces Epiſcopos perſuaſos fuiſſe, quod Stephani reſcriptum, non fuerat judicium definitivum, nec dogmaticum, quodque non voluerit rem decidere, ut fidei articulum, ſed tantùm voluerit, ac præceperit antiquam conſuetudinem obſervari, eò quòd rem illam haberent pro adiaphora, & quæ ad ritus variarum nationum potiùs ſpectaret, & quæſtionem facti, & privatas gentium praxes ac conſuetudines, adeoque in plenario aliquo Concilio per diverſarum Regionum Epiſcopos multis hinc inde collationibus diſcutiendas ac examinandas, ut etiam S. Auguſtinus pluribus locis indicat. Unde pag. 766. ait". Hoc ſibi voluerunt, Cyprianus, Firmilia„ nus, Helenus, Dionyſius, Auguſtinus: Affirmant, Stephanum non „ de dogmate, ſed de aliarum Gentium moribus, & factis judicaſſe, „ potuiſſe illic labi, ideoque ejus, uſque ad Nicænam Synodum „ judicio impunè atque innoxiè non fuiſſe obeditum". Proindè

S. Au-

S. Auguſtinus illos de contumacia minimè taxat, ſed affirmat lib. 1. de Baptiſmo cap. 18. quod *humanæ infirmitatis errorem cooperuit charitas unitatis.* Porrò Cypriani reſiſtentiam non ſine culpa & pænitentia fuiſſe, etiam fatetur S. Auguſtinus Epiſt. 48. poſt medi. *Correxiſſe autem iſtam ſententiam, non invenitur Cyprianus, non incongruenter tamen de tali viro exiſtimandum eſt, quod correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimium delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt. Quamquam non deſunt, qui hoc Cyprianum prorſus non ſenſiſſe contendunt, ſed ſub ejus nomine à præſumptoribus atque mendacibus fuiſſe confictum.* Sicque, *aut non ſenſit omnino, quod eum ſenſiſſe recitatis: aut hoc poſtea correxit in regula veritatis, aut hunc quaſi nævum ſui candidiſſimi pectoris cooperuit ubere charitatis, dum unitatem Eccleſiæ toto orbe creſcentis, & copioſiſſimè defendit, & perſeverantiſsimè retinuit vinculum pacis.* Denique ut aſſeverantiùs ſcribit lib. 2. cont. Creſcon. Grammat. cap. 37. *Cypriano de Baptiſmo repetendo, ſi quid aliter ſapuit, pro tantis meritis flagrantiſſimæ charitatis corrigendum, procul dubio Dominus revelavit: quia in ea vite permanſit tamquam ſarmentum tanto fructu pacis, & dilectionis opulentum, ut etiamſi quid in eo purgandum reperiretur, ſi nullâ re aliâ, certe falce Martyrii purgaretur.*

Certè ipſos Africanos Epiſcopos qui Cypriano conſenſerant, mutaſſe ſententiam, & contraria prioribus ſtatuiſſe S. Hieronymus teſtatur lib. contra Luciferian. his verbis. *Denique illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos hæreticos cum eo ſtatuerant, novum emiſere Decretum.* Atteſtatur & Euſebius lib. 7. cap. 3. 4. ex litteris Dionyſii Epiſcopi Alexand. omnes Orientalium Eccleſiarum Præſules, concordiâ initâ, in unam cum Stephano conſpiraſſe ſententiam; nullus igitur dubio locus ſupereſt, quin & ipſe S. Cyprianus, eorum veſtigiis inſiſtens, mutatâ ſententiâ Stephanum fuerit ſecutus.

Hinc vel ex illa ipſa concertatione, Summa ac irrefragabilis Apoſtolicæ Sedis authoritas enituit, cum unus Romanus Pontifex Stephanus, ſine ullo Generali Concilio, ſolius antiquæ conſuetudinis ac traditionis oraculo ac reſcripto, omnes Orientales Eccleſias, totque Africanas Synodos, propriis decretis ac ſententiis revocatis, in Catholicæ veritatis notitiam adduxerit. Quod perpendens Vincentius Lyrinen. cap. 9. & 10. inquit, *Agrippini præſumptio etiam quibuſdam Catholicis occaſionem præbuit erroris &c. tunc*

Beatæ memoria Papa Stephanus, Apoſtolicæ Sedis Antiſtes, cum cæteris quidem Collegis ſuis, ſed tamen præ cæteris reſtitit & ſanxit: *Nihil innovandum, niſi quod traditum eſt &c. Quis ergo tunc univerſi negotii exitus? Quis utique, niſi uſitatus, & ſolitus? Retenta eſt ſcilicet antiquitas, exploſa novitas. Poſtremò ipſius Africani Concilii, ſive decreti quæ vires? Donante Deo, nulla. Sed univerſa, tamquam ſomnia, tamquam fabulæ, tamquam ſuperflua, abolita, antiquata, calcata ſunt.* " Eaque, (uti obſervat Lenſæus Orat. de admirab. Eccleſ. concordia cap. 8.) ſic Apoſtolicæ Sedis obtinuit ſententia, ut poſtea nihil aliud plenarii Concilii definitione conſtitutum ſit, quam omnem illam de rebaptizando novitatem explodi oportere". Plura ibidem, & cap. 15. Item apud Jacobum Latomum de Primatu Rom. Pont. cap. 3. part. 2. de S. Cypriani contentione, ac planè eadem videri poſſunt, ut hìc tranſcribere foret ſupervacaneum. Omitti tamen Joannis Heſſelii verba non debent, quibus in tract. de perpetua Cathed. Petri firmit. cap. 8. Cypriani errorem ac contentionem ab omni ſchiſmatis & hæreſis labe ſic eximit. " Tanta eſt Eccleſiæ fiducia in hac Domini gratia, quâ ſe promiſit per Petrum fideles confirmaturum, ut etiam Sedes Apoſtolica, ubi rectiſſimè definierit aliquid ab omnibus ſuſcipiendum, toleret eos, qui ſuæ definitioni, vel nondum intellectæ, aut nondum, ut legitimæ patefactæ, per carnalem caliginem (more S. Martyris Cypriani) probabilibus cauſis citra pertinaciam, & aliter ſententium condemnationem adverſantur. Quia novit Chriſti promiſſum eſſe ſtabile, & tales oppoſitiones proficere ad majorem veritatis elucidationem". Quemadmodum & ex illa Cypriani oppoſitione eveniſſe confeſtim patuit.

Pariformiter Joannes Wiggers ad 2. 2. q. 1. art. 10. dub. 5. de Pontif. N. 195. Reſpondet " Cyprianum non fuiſſe hæreticum, tum quia Stephanus non definierat tamquam de fide, quod hæretici non eſſent rebaptizandi: ſed tantùm mandaverat, quod antiqua conſuetudo Eccleſiæ non rebaptizandi obſervaretur ab omnibus. Noluit enim Summus Pontifex rem abſolutè definire ſine Concilio Generali. Unde poſt obitum S. Cypriani demum & ante D. Auguſtini nativitatem, fuit ea quæſtio in Concilio Generali determinata, ac definita, ut docet D. Auguſtinus lib. 2. de Baptiſmo cap. 8.".

Diſcutitur Doctrina ADRIANI Papæ VI.

Is ab aliquibus citatur, tamquam qui doceret Romanum Pontificem, in decidendis Fidei quæſtionibus ſine Generali Concilo, non eſſe infallibilem: propter ea quæ habet in 4. ſent. q. de Confirmatione. Ubi", ad ſecundum argumentum principale in "oppoſit. de facto Gregorii ita reſpondet. Dico I. Quod ſi per "Eccleſiam Romanam intelligatur Caput ejus puta, Pontifex; "certum eſt, quod poſſit errare, etiam in iis quæ fidem tangunt, "hæreſim per ſuam determinationem, aut decretalem aſſerendo".

Verùm Joannes Malderus ad 22.q.1.a.10.tract.de Pont.diſp.5. rectè reſpondet: iſtam doctrinam "non eſſe accipiendam de Pon-,, tificia definitione ex Cathedra. Neque enim omnia, quæ Ponti-,, fex etiam conſultus, ut Judex ſcribit, aut reſcribit, tamquam vir ,, doctus, & poteſtatem habens, mox habenda ſunt pro definitione ,, Sedis Apoſtolicæ. Neque hæc mira videri debent (monet Wig-,, gers l.c.n.203.) quia mnlta referuntur ad ſummum Pontificem, ,, tamquam Supremum Judicem, non quidem ſemper, ut ipſe tam-,, quam Eccleſiæ univerſalis Doctor, ex infallibili Spiritus S. aſſi-,, ſtentia illa dijudicet, ſed ſæpius tantùm, ut authoritate ſupremâ ,, ſecundùm ſuam ſapientiam, & prudentiam particularem deſu-,, per dicat judicium, & difficultatibus, quæ in facto ſic occurrunt, ,, finem aliquem imponat, ſaltem donec pleniori examine præ-,, miſſo, ſi res ſit gravior, & ad fidem, vel bonos mores tendens, ,, ex Cathedra à Pontificibus definiatur". Hanc autem, & non a-,, liam fuiſſe Adriani mentem, liquet tum ex facto Gregorii Con-,, cedentis Sardiniæ Presbyteris, ut Sacramentum Confirmationis ,, conferre valerent, ad quod reſpondet Adrianus contrariæ exi-,, ſtens opinionis. Illa enim Gregorii conceſſio non juris, ſed ſo-,, lius facti erat, de quo adhuc ſub judice lis eſt, neque res illa ab ,, ipſo Gregorio tamquam de fide definita, vel Eccleſiæ propo-,, ſita fuit. Tum ex ipſis Adriani verbis. Nam aſſerit: *Certum ,, eſſe, quod poſſit errare.* Hoc ſi intelligeret de Pontifice, ut ſupre-,, mo Univerſalis Eccleſiæ Paſtore definiente & proponente toti ,, Eccleſiæ aliquid fide credendum, neutiquam eſt certum. Quin

„ è contra eſt id manifeſtè falſum : ejuſque oppoſitum adeo certum, ut ab aliquibus habeatur de fide. Tum ex probatione, „ quam ſubjicit, dicens. Plures enim fuerunt Pontifices Romani, Hæretici. Ut noviſſimè fertur de Joanne XXII. &c. Item „ patet hoc de errore quorumdam Pontificum circa Matrimonium, „ de quo in cap. *licet* de deſpon. duor. Item de errore Cæleſtini „ circa Matrimon. fidelium, quorum alter labitur in hæreſim &c. Siquidem de Fide eſt nullum omnino Pontificem ſummum, ut talem, & ut Caput Eccleſiæ erraſſe, definiendo aliquid contrà fidem. Igitur non loquitur Adrianus de Pontifice Romano ut Paſtore univerſalis Eccleſiæ, definiente aliquid ad fidem pertinens, ſed ad ſummùm, de Pontifice reſolvente, & reſcribentè ſecundùm privatam ſuam opinionem & ſententiam, in qua eum poſſe errare, ac hæreticum fieri, & de facto erraſſe Joannem XXII. circa animas purgatas ante diem judicii; Cæleſtinum, alioſque Pontifices, circa Matrimonium, ſuſtinet Adrianus. Proinde immeritò adducitur ùt oppoſitum docens.

ARTICULUS II.

Romani Pontificis authoritas nulli Concilio Generali ſubjecta eſt, quod nullam omnino in legitimum, ac indubitatum Pontificem, habet poteſtatem judicandi vel deponendi. Sed è contra ipſe ſummus Pontifex omni Concilio Generali Superior eſt, & authoritate, & juriſdictione: ita ut nullo prorſus modo ei ſubſit, nec obedire teneatur.

DOctrinam hanc, quam Commemoratos Lovanienſis Academiæ Profeſſores concorditer tradidiſſe, in ſuperioribus oppidò ſatis pateſcit, luculentiùs, adhuc, ac expreſſiùs confirmant, hìc recenſendi.

Jacobus Latomus loc. paulò ante cit. parte 1, latè probat " quod ordina-

„ ordinatione Romanus Pontifex, omnium ſummus, generaliter „ toti orbi Chriſtiano præſit, inquantùm ut Chriſti Vicarius; & „ Petri Succeſſor, cui pro ſe, & Succeſſoribus à Chriſto com„ miſſa eſt univerſalis Eccleſia. Ex hoc enim jure Patrum Canones „ decreverunt in Concilio Nicæno, ut unicuique Epiſcopo gra„ vato liberè liceat appellare Romanam Sedem. Item ut Romano „ Epiſcopo inconſulto, non deſtituatur Epiſcopus: quodque „ Concilia Generalia, aut etiam particularia, in materia Fidei, eô „ inconſultô, convocari nequeant: & cum fuerint convocata, „ nihil aliud concludant, quàm id, propter quod convocata ſunt, „ aut ſaltem quod concludi non poſſint), antequam Romanus „ Pontifex conſulatur, aut ſaltem concluſio mittatur Sedi Apo„ ſtolicæ approbanda, vel reprobanda, & ejus authotitate per uni„ verſum orbem dirigenda. Id quod obſervatum videmus in Con„ cilio Africano, & Milevitano, & Chalcedonenſi, imò & in „ Concilio Nicæno". Unde & cap. 4. in fine evincit, Papam eſſe juriſdictionis poteſtate, ſuperiorem univerſæ Eccleſiæ, ac majorem toto reſiduo Eccleſiæ corpore, & per conſequens, ipſum Generale Concilium, quod Eccleſiam univerſalem repræſentat, ipſi eſſe in omnibus ſubjectum ut Capiti, ſicut tota Eccleſia ſubjecta eſt Chriſto. Id quod ampliùs adhuc eluceſcet ex ſua reſponſione ad quintum Lutheri Argument. ex Concilio Conſtantien. mox referenda.

Joannes Driedo lib. 1. de libert. Chriſtiana, conſid. 5. multis præmiſſis ita ratiocinatur. " Papa igitur, ſi ex jure divino habeat „ ſupremam poteſtatem ſupra omnia Eccleſiæ membra, conſe„ quens eſt, Papam ſecundùm eandem poteſtatem Papalem ex „ jure divino habere, quod à nemine poſſit judicari, aut condem„ nari; quippe non habens in terris, neque ullum ſuperiorem ju„ dicem, ſed neque ullam communitatem, cui ſubjiciatur. Cum „ enim in Papa ſit plenitudo poteſtatis, à qua deſcendit, & de„ rivatur regendi authoritas in medios, uſque ad Rectores, ulti„ mos, conſequens eſt, non poſſe in ulla communitate, ſecluſo „ Papa eſſe poteſtatem majorem, quàm ſit poteſtas Papæ: atque „ ita Papa non ſubjicitur Concilio, tamquam Superiori, & ha„ benti ſublimiorem poteſtatem ſupra ipſum". Et ibid. art. 2. de

conſuetud. conſiderat. 7. in fine. " Collegium Cardinalium, ſimul ,, & ipſum Concilium ſubjectum eſt Papæ. Atque ita ipſe Papa ,, dum eligitur, neque ab Eccleſia, neque à Concilio ullam accipit ,, poteſtatem. Proinde & Canones, quibus ſignificari videtur, à ,, Conciliis vel Patribus eſſe conſtitutum, ut ſolus Papa habeat au- ,, thoritatem congregandi Concilia, & authoritatem, à qua non ,, liceat appellare, & ad quam omnibus de toto mundo appel- ,, lare ſit licitum, & poteſtatem illam nulli ſubjectam eſſe, à ne- ,, mine judicandam, omnibus poteſtatibus ſuperiorem, ſunt inter- ,, pretandi, quod Concilia, & Patres declaraverunt, Papam talem ,, habere poteſtatem à Chriſto".

Suffragatur P. Henricus Lancelottus, hic propterea inſerendus: qui ad 9. Hæreticum Quare, ejuſque objectionem 3. hanc Spongiam adhibet. " Concilium authoritate judiciali non poteſt de- " ponere Papam: quia *prima Sedes à nemine judicatur.* Cujus ratio " à priori eſt: quia Papa authoritatem in totam Eccleſiam accepit; " non ab Eccleſia, ſed immediatè à Chriſto, unde eam Eccleſia " nullo modo auferre poteſt. Caſu verò, quo manifeſtè eſſet hæ- " reticus, depoſitus eſſet, non ab hominibus, ſed à Deo, qui non " creditur eum retinere velle Vicarium, qui ſe apertè ab ejus cor- " pore ſecernit, vel facti evidentiâ, vel Concilii Generalis decla- " ratione".

Thomas Stapletonus Controverſ. 6. qu. 3. art. 5. *Sententiam Orthodoxam* ſparſim his rationibus communit. " Petri Succeſſor, " omnium Epiſcoporum, & totius Eccleſiæ Caput eſt, ideoque " & Generalis Concilii, ſine cujus authoritate, & conſenſu, nul- " lum Generale Concilium robur habet, ipſe Concilia authorita- " tivè confirmat, eſtque Paſtor totius ovilis Chriſti, tota autem " Eccleſia, eſt unum ovile, ergo eſt ſupra Concilia, & hæc ſuo " Capiti ſunt ſubdita". Unde "dicere quod Generale Concilium, " Univerſam Eccleſiam repræſentans ſit ſupra Papam, opinio pla- " nè erronea eſt, qualem Hæretici ſuſtinerent. Tollit enim pror- " ſus Primatum Papæ, & Gubernationem Eccleſiæ Monarchi- " cam; quam Chriſtus inſtituit; Cujus poſito inſtituto, cætera " neceſſariò, quæ ad Primatum pertinent, conſequuntur, nec ab " Eccleſia tolli, aut diminui poſſunt: hinc, qui jure Divino præeſt

omni-

" omnibus, nullo poteſt jure humano eiſdem ſubeſſe. Sic enim " reſtringere, ac limitare homines poſſent, quod Deus ſimplici- " ter inſtituit.

Eiſdem inſiſtens Joannes Malderus tract. de Pont. Diſp. 4. dub. 3. aſſertionem ſuam ulteriùs fundat " in Conciliis Roma- " no. 284. Epiſcoporum ſub Sylveſtro Can. 3. & 20. Synueſſano, " Romano quinto ſub Symmacho, in octava Synodo, action. 7. La- " teranenſi ſub Alexandro III. Synodo Chalcedonenſi, & Con- " ſtantienſi quoque, quæ duos articulos definivit, ex quibus aper- " tè ſequitur noſtra reſponſio. Unus eſt, *quod Papa ſit Caput Eccle-* " *ſiæ.* Alter, qui continetur in interrogatoriis Hæreticorum: *quod* " *Papa habeat ſupremam authoritatem in Eccleſia.* Hinc enim ſequitur, " Concilium non habere majorem, ſi autem habeat minorem, ſub- " eſt Papæ. Si dicatur, habere parem: non rectè id dicitur, quia ſic Papa non eſſet Caput Eccleſiæ" nec haberet ſupremam autho- ritatem in ea. "Ad hæc Concilium Lugdunenſe, ut videre licet " cap. *ubi periculum* dè elect. in 6. vocat Pontificem, Rectorem " Univerſalis Eccleſiæ. Eſt ergo Rector Concilii, quod Eccle- " ſiam Univerſalem repræſentat. Quartò, ſi Concilium eſſet ſu- " pra Papam, liceret à Papa ad Concilium appellare, tamquam ad " Superiorem. Non licet autem à Papa ad Concilium appellare. 9. q. 3. c. *ipſi* & c. *cuncta.*

Annectit quartam rationem Joannes Wiggers tract. de Pont. dub. 2. n. 143. " quæ ſumitur ex appellationibus interpoſitis ex " toto orbe, ab Epiſcopis, & Eccleſiis aliis ad Romanum Pontifi- ,, cem: ita ut ad eum ab aliorum judicio ſemper licuerit appel- ,, lationem inſtituere, ab ejus autem ſententia ad alios minimè: ,, quod manifeſtum Primatûs illius in tota Eccleſia eſt indicium. ,, Quod appellandi jus confirmatum exiſtit etiam in Concilio ,, Generali Sardicenſi, celebrato proximè poſt Nicænum (cum ,, quo quaſi unum computatur, unde inter Generalia Con- ,, cilia non enumeratur, ut diſtinctum ab iſto) can. 4. &c. ,, ſubdit. N. 148. ſexta & ultima ratio ſit. Quia Epiſcopus ,, Romanus non poteſt à quoquam judicari, ut patet ex ,, Concilio Synueſſano, quod dicit. Primam Sedem à nemine ju- ,, dicari. Ut refert Nicolaus I. in Epiſt. ad Michaëlem Impera- torem.

„torem. Item ex Concilio Romano ſub Sylveſtro, can. 18. qui „ ſic habet: " Nemo judicabit Primam Sedem, quoniam omnes „ Sedes à Prima Sede juſtitiam deſiderant temperari: cujus Cano-„ nis etiam meminit Nicolaus I. ſupra. Similia habentur in Con-„ cilio Romano, ſub Adriano, cujus Concilii verba referuntur in „ VIII. Synodo Generali, actione 7: *Romanum Pontificem de om-„ nium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus*, inquit, *de eo verò quem-„ quam judicaſſe non legimus*". Paulò latiùs hæc deducit tract. de „ Conciliis dubio 4. n. 79. & 80. ubi n. 71. hanc ſtatuit conclu-„ ſionem. " Concilium univerſale ſeorſim ſumptum abſque Pon-„ tifice, non eſt ſupra Pontificem, nec paris poteſtatis, ſed Pon-„ tifex eſt ſupra Concilium, utpote qui Concilii caput eſt (n. 75.) „ eſt concluſio certò tenenda, utpotè fidei proxima, & quæ ab „ omnibus penè communiter doceatur. (n. 78.) Hinc Concilium „ Chalcedon. in Epiſt. ad D. Leonem expreſſis verbis fatetur, eum, „ Caput, non ſingulorum tantùm, ſed ipſius Concilii. Agens enim „ de Patribus in Concilio iſto congregatis, ſic ſcribit: *Quibus tu, „ ut Caput præeras.* Item Joan. XXI. conſtituitur Petrus Paſtor agno-„ rum & ovium Chriſti; Paſtor autem non tantùm præeſt ſingulis „ ovibus, ſed etiam toti gregi & toti ovili". N. 82. Hoc ipſum comprobat per diverſos Pontifices, & n. 84. per Gelaſium, qui ad Epiſcopos Dardaniæ ita ſcribit: *Ad Sedem Apoſtolicam de qualibet mundi parte; appellandum eſt, ab illa autem nemini appellare permiſſum.* Subditque: *Sæpè Romanos Pontifices ſolviſſe, quos Concilia ligaverant. Sanctæ memoriæ quippe Athanaſium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apoſtolica, quia damnationi Græcorum non conſenſit, abſolvit. Sanctæ memoriæ nihilominus Ioannem Conſtantinopolitan. Synodus etiam Catholicorum Præſulum certè damnarat: quem ſimili modo Sedes Apoſtolica, etiam ſola, quia non conſenſit, abſolvit. Itemq; Sanctæ memoriæ Flavianum, Pontificum congregatione damnatum, pari tenore, quoniam Sedes Apoſtolica non conſenſit, abſolvit.* Videantur hæc fusè expoſita à P. Ch. Lupo in Dictatu S. Greg. VII. à pag. 543. uſque ad 588. & iterum à pag. 628. uſque ad 691.

Ex ſupra allegatis Concilii Synueſſani verbis, & Canone ult. ſecundæ Synodi Romanæ ſub Sylveſtro, & ex Ennodii Ticinenſis Apologia pro Symmacho Papa, Joannes Sinnichius in Goliatiſmo

profilig.

proflig. cap. 76. §. 246. pariter adſtruit Romanum Pontificem, utpote totius Chriſtiani gregis, adeoque & Concilii cujuſcumque Paſtorem, & Rectorem, nulli prorſus humano, ſed ſoli Divino ſubeſſe judicio.

Præ cæteris verò in hac veritate ſtabilienda, ac vindicanda contra Joannis Launoy præſertim argutias, multò prolixior eſt Chriſtian. Lupus, in ſuis ad S. Gregorii VII. Dictatum notis, inconcuſſam Rom. Pontificis, ſeorſim conſiderati, ſupra cujuſcumque Gen. Concilii reliquum corpus, authoritatem, ac poteſtatem demonſtrat in Scholiis ad Canon. 2. 3. 4. 7. 16. 18. 19. 20. 21. & 22. tum ex jure convocandi Concilia Generalia, in iis præſidendi, ea confirmandi, ex debito relationis faciendæ à Synodo ad ipſum, tum ex jure Appellationis à Concilio ad Papam, atque ex eo, quod ab ipſo ad Concilium appellari non poſſit, quodque à nemine judicari ipſe debeat. Quæ omnia quàm latiſſimè explicat. Et de appellationibus à Papa ad Concilium pag. 543. compendiô ait. " Veras appellationes plenè ignoravit omnis antiqua Chriſtiani-,, tas: & poſterioribus ſæculis erumpentem iniquitatem, Romana ,, Eccleſia ſtatim compeſcuit, & meritò tamquam hæreſim dam-,, navit. A Generali autem Synodo poſſe appellari ad Pontificem, ,, inſigniter exponit lib. de anathem. ſuper acta Conc. Chalcedo-,, nenſis, S. Gelaſius. *Totum in Apoſtolicæ Sedis poſitum eſt poteſtate. Ita ,, quod firmavit in Synodo Sedes Apoſtolica, hoc robur obtinuit: quod refu-,, tavit, habere non potuit firmitatem: & ſola reſcindit, quod præter ordinem ,, Congregatio Synodica putaverat uſurpandum.* Quæ omnia altis voci-,, bus clamant, non Papam Synodo, ſed Papæ Synodum ſubeſſe. ,, Loquor ſemper (inquit pag. 551.) de ſolo Synodi corpore, ,, prout contra Caput condiſtinguitur. Etenim appellari non poſ-,, ſit, niſi ad ſuperiorem. Et à Generalis Synodi corpore omnino ,, appellatur ad Caput, & quidem appellatione verâ, quæ non tan-,, tùm devolvat ex gratia, ſed ex juſtitia etiam ſuſpendat. Luci-,, dè hoc ſcribit in Litteris ad Theodoſ. Imperat. Magnus Leo ,, &c. pag. 593. De judiciali autem in Papam ſententia, de qua ,, agit præſens dictatus, de Euſebiana factione, Dioſcori, & Pho-,, tii audaciâ, & de Sextæ Synodi in Honorium Decreto, dixi ſuis ,, locis. Se in judicium vocari non poſſe, nec ſolam ſuam perſo-

,, nam, ſed nec ſuum judicium poſſe à quoquam judicari, uti rem
,, toti orbi manifeſtam, conſtanter in Litteris ad Fauſtum Magi-
,, ſtrum, & ad Dardaniæ Epiſcopos affirmat S. Gelaſius. Ideoque
,, in Apologetico Symmachi PP. ſcribit Ennodius tunc Diacon.
,, Ticinen. *Aliorum fortè hominum cauſas Deus voluit homines termi-*
,, *nare, ſed Sedis Romanæ Præſules ſuo ſine quæſtione reſervavit arbitrio.*
,, *Voluit B. Petri Apoſtoli Succeſſores Cælo tantùm debere innocentiam, &*
,, *ſubtiliſſimi diſcuſſoris indagini inviolatam exhibere conſcientiam.*

" Inſigniter id, & amplè confirmat S. Avitus Archepiſcopus
" Viennenſis. Quid opus multis? Dictatum hunc lucidè firmavit,
" in Canonem redegit Synodus VIII. quem ita concludit. *Si Syno-*
,, *dus univerſalis fuerit congregata, & facta fuerit, etiam de ſancta Romano-*
,, *rum Eccleſia quavis ambiguitas, & controverſia oportet venerabiliter, &*
,, *cum convenienti reverentia de propoſita quæſtione ſciſcitari, & ſolutionem*
,, *accipere, aut proficere, aut profectum facere, non tamen audacter ſenten-*
,, *tiam dicere, contra ſummos ſenioris Romæ Pontifices.* Criminalem de
Romano Pontifice quæſtionem permittit examinari. Verùm ri-
gidiſſè damnat prorumpi in audaciam, quâ judicetur Pontifex aut
,, damnetur. Et evocatus ad Auſanam Synodum contra Paſcha-
,, lem II. Reſcripſit S. Ivo Carnotenſis Epiſcopus. *Non poſſumus*
,, *eas perſonas, contra quas agitur condemnare vel judicare: quia nec noſtro,*
,, *nec ullius hominum probantur ſubjacere judicio.* Nec ipſe ſolus hæc
,, ſcripſit, ſed ejus etiam Metropolita Daimbertus, omniſque Pro-
,, vincia Senodenſis. Et hunc ſemper fuiſſe perpetuum Gallicanæ
,, Eccleſiæ ſenſum, profitetur, ac variè demonſtrat, in opere de
,, Sacerdotii, ac Imperii concordia, Pariſienſium Archiepiſcopus
,, Petrus de Marca. Et hinc Francorum Rex Carolus VII. cuncta
,, Baſilienſis Synodi Decreta admittens, Eugenii IV. degradatio-
,, nem, ac Felicis V. intruſionem admittere numquam voluit: in
,, Eugenii communione, ac obedientia conſtans permanſit, ſicut
,, elucet ex Litteris ejus ad præfatam Synodum datis. (pag. 597.)
,, Laudati Pariſienſis Archiepiſcopi inſignem doctrinam, Stepha-
,, nus Baluſius redegit in hæc compendia. *Perſona Pontificis à ne-*
,, *mine judicatur. Ex Synodo Romana ſub Symmacho, & ex Ennodio. Ea-*
dem Eccleſiæ Gallicanæ ſententia. Romanum Pontificem à nemine judican-
dum profeſſus eſt Carolus Magnus, & cæteri Galli in Synodo Romana. Sub-

dit:

dit: *Sanè in cauſa hæreſeos publicè profeſſæ, & ſchiſmatis, quin de Romano Pontifice fieri poſsit judicium, nullus umquam Scriptor dubitavit, quamvis ſententiam malint declaratoriam dici, quàm condemnatoriam.* Hìc ex Joan. Wiggers cit. dub. 2. n. 162. " advertendum itaque eſt. Si „ Concilium declararet Pontificem hæreſi eſſe obnoxium, non „ idcirco deberet cenſeri deponere Pontificem. Sed poſitâ Con„ cilii declaratione, tamquam conditione ſine qua non, ſi aliàs evi„ dentiâ facti, non eſſet ejus hæreſis notoria, privaretur ab ipſo „ Chriſto, ſive Chriſti inſtitutione, & ſic ſine alicujus hominis „ accedente authoritate judiciariâ in depoſitione, deſineret ipſe Pontifex & Caput Eccleſiæ eſſe". Pergit P. Lupus (pag. 598.) „ Ejuſdem mentis fuit Romana Adriani II. adversùs Photium Synodus", utpote qui cum ſua Synodo "Primæ Sedis Epiſcopum, „ contra datum illi à Divino jure privilegium, damnare præſum„ pſiſſet. Hinc Adrianus Pontifex in tertia allocutione. *Intolera„ bilis eſt iſta præſumptio, & hanc aures præcordiorum ſuſtinere non poſſunt. „ Quis unquam veſtrum tale quid audivit? Aut quis hujuſmodi temeritatis „ immenſitatem ſaltem lectione invenit? Siquidem Romanum Pontificem „ de omnium Eccleſiarum Præſulibus judicaſſe legimus: de eo verò quem„ quam judicaſſe non legimus. Licet enim Honorio, ab Orientalibus poſt „ mortem anathema ſit dictum, ſciendum tamen eſt, quia fuerat ſuper hæreſi „ accuſatus, propter quam ſolam licitum eſt minoribus majorum ſuorum moti„ bus reſiſtere, vel pravos ſuos ſenſus liberè reſpuere. Quamvis, & ibi, nec „ Patriarcharum, nec cæterorum Antiſtitum cuipiam, de eo quamlibet fas fue„ rit proferre ſententiam, niſi ejuſdem primæ Sedis præceſsit authoritas.* (pa„ gina 601. & 603.) Et ex hac inſtructione lucidè formatus eſt „ vigeſimus primus Canon octavæ Synodi (paulò antè citatus.)

„ Quod igitur Romanum Epiſcopum, nec à ficta, nec à vera Ge„ nerali Synodo judicari poſſe ſanxerit octavum Concilium, eſt „ luce meridianâ manifeſtius. Sanxit ex Regula, quam ad omnes „ Orientis Patriarchas, atque Epiſcopos ſcripſit de hac quæſtio„ ne S. Pontifex Nicolaus. *Sedes Petri à nemine judicatur, niſi ab eo, qui illi claves Regni dedit.* (Pag. 909.) id ipſum "Henrico III. Im„ peratori ſcripſit Wazo Epiſcopus Leodienſis: *conteſtantibus tam „ Divinis legibus, quam Eccleſiaſticis Decretis, à nemine niſi à ſolo Deo ju„ dicari debet Chriſti Vicarius.* : Hic eſt ille magnus Epiſcopus Wazo,

 cui

„ cui fuit meritò ſcriptum hoc Epitaphium. *Ante ruet mundus ;*
„ *quam ſurgat Waſo ſecundus.* Lucidè profitetur, Romanum Epiſco-
„ pum, nec ab Italica, nec ab œcumenica Synodo judicari poſſe,
„ ſed à ſolo Deo, & ita conteſtari tam Divinas leges, quam Ec-
„ cleſiaſtica Decreta". (Pag. denique 726.) Synodus Chalcedo-
„ nenſis ſcribens S. Leoni concludit. *Rogamus igitur, & tuis Decre-*
„ *tis noſtrum honora judicium, & ſicuti nos Capiti in bonis adjecimus con-*
„ *ſonantiam, ſic & ſummitas tua filiis, quod decet, adimpleat.* Notanda
„ ſunt verba: *Nos Capiti adjecimus conſonantiam. Summitas tua filiis ad-*
„ *impleat.* Lucidioribus vocibus non potuerat profiteri Synodus, ſe Pontifice inferiorem. Synodus illa Romana, quæ ex Italiæ, ac Galliæ Epiſcopis congregata fuit, ut objecta Leoni III. crimina examinaret, unâ omnium voce acclamavit. *Nos Sedem Apoſtolicam, quæ eſt Caput omnium Dei Eccleſiarum, judicare non audemus. Nam ab ipſa nos omnes, & Vicariò ejus judicamur, ipſa autem à nemine judicatur, quemadmodum & antiquitus mos fuit.* Ex quibus omnibus fit perſpicuum, planè falſum eſſe, quod hoc tempore quidam contendunt, contrarium ipſo Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ uſu confirmatum.

Necquicquam juvant Synodi Conſtantienſis Decreta de authoritate Conciliorum Generalium, quæ Seſſione quartâ & quintâ continentur, multò minus valent acta in Synodo Baſileenſi.

De his P. Lupus l. c. pag. 596. " Joannes Launoyus, Con-
" ſtantienſem, ac Baſileenſem extollit, Florentinam autem Syno-
" dum indignè deprimit: ac proſequitur. *Privilegia, ſeu libertates*
" *regni in hac veritate poſita ſunt univerſa: & eam ob cauſam diſputatio*
„ *hujuſmodi ſi fiat, tota ad ſubverſionem audientium convertetur, regnum ſe-*
„ *parabitur, ac diſtrahetur.* Longè aliter credit Pariſienſ. Archi-
„ Epiſc. Petrus de Marca, in opere de Sacerdot. ac Imperii con-
" cord. *Solet à pleriſque Pragmaticis hoc ferè præcipuum conſtitui liberta-*
" *tis Gallicanæ theorema, Concilium Oecumenicum ſuperius eſſe ſummo Pon-*
„ *tifice.* Eruditè hoc refutat, ejuſque prolixiorem diſcurſum Ste-
„ phanus Baluzius redegit in hoc compendium; *Confutatur communis*
opinio,

" *opinio, quæ docet, præcipuam libertatum regulam hanc eſſe: ut Concilium* " *Oecumenicum, ſuperius Romano Pontifice dicatur. Quamvis hæc ſit ſchola* " *Gallicanæ ſententia, non eſt una ex libertatibus Gallicanis*". Sed potiùs unum ex potiſſimis argumentis, quibus Martinus Lutherus Primatum Romani Pontificis oppugnat, quodque ex ipſo profert, " & diſſolvit Jacobus Latomus cap. 4. de Primatu Romani Pont. his verbis: " Argumentatur Martinus. *Iam quod in principio egimus,* " *Concilium Conſtantienſe determinavit, Concilium eſſe ſupra Papam: ſicut* " *& hujus determinationis uſum ibidem ſervavit, deponendo, & ſtatuendo* " *Papam.* Dicendum I. quod Martinus non eſt audiendus allegans " pro ſe Concilium, cui apertè, & contumelioſè derogat, ac falſum imponit, dum dicit, inter cætera, Concilum damnaſſe, quod " diviſio humanorum actuum ſit per immediata, ſic ut nullus ſit " actus medius inter bonum & malum: ſed Concilium damnavit unum articulum Joannis Hus &c.

Secundò. " Tale decretum in actis Concilii Conſtantienſis " nuſquam legitur eo ſenſu, & tenore verborum, quô Martinus " allegat. Unde ſeſſione 4. ſic legitur. *Hæc Sancta Synodus Conſtan-* " *tienſis Generale Concilium faciens pro extirpatione præſentis ſchiſmatis, &* " *unione, ac reformatione Eccleſiæ, in Capite, & in membris fienda, de-* " *clarat, quod ipſa in Spiritu S. congregata generale Concilium faciens, Eccle-* " *ſiam Catholicam militantem repræſentans, poteſtatem à Chriſto immediatè* " *habet, cui quilibet cujuſcumque ſtatûs vel dignitatis (etiamſi Papalis ex-* " *iſtat) obedire tenetur in his, quæ pertinent ad extirpationem dicti ſchiſma-* " *tis &c.* Ecce manifeſtè patet, quod Decretum illorum Patrum " non loquitur univerſaliter de qualibet Synodo Univerſali: ſed " de illa ſingulariter, pro cujus tempore non erat in Eccleſia unus " Paſtor totius Eccleſiæ indubitatus: cum eo tempore tres diverſi ſe gererent pro Romanis Pontificibus. Præterea ipſum Concilium nondum erat plenarium & Univerſale, cum ſolùm eſſent " illi, qui obediebant Joanni 23. duabus aliis partibus nondum " præſentibus, neque conſentientibus. Unde ſeſſione 14. D. Angelus Coreacius, qui dicebatur Gregorius XII. miſit ceſſionem " Papatûs, ſalvô, quod ejus nomine de novo fieret Patrum convocatio, & ipſi Concilio traderetur ejus nomine authoritas. Et " ſeſſione 20. illi, qui adhærebant Petro de Luna, qui dicebatur

„ Benedictus XIII. univerunt ſe aliis duabus partibus : ſalvô, „ quod eorum authoritate fieret nova ſolemnis Concilii convoca-„ tio. Et tunc primum fuit perfectum & plenarium Concilium. „ Item aliâ ratione non valet argumentum. Quoniam authorita-„ te illius primæ congregationis apertiſſimè contradixerunt aliæ „ duæ partes. Quare contradictio fuit acceptata , ut patet evi-„ denter ex geſtis dicti Concilii : Nam qui obediebant Gregorio, „ non habebant primam vocationem pro legitima, & poſtea illâ „ parte additâ priori , adhuc contradixit eidem decreto pars tertia „ obediens Benedicto XIII. non tenentes Congregationem „ Gregorii, & Joannis facere univerſale Concilium , nec repræ-„ ſentare Eccleſiam Catholicam : & noluerunt ſe unire illi , niſi „ priùs juxta compacta in Narbona cum Sigiſmundo Imperatore, „ nova fieret per eos , apud quos veram eſſe arbitrabantur Eccle-„ ſiam, convocatio , ſicut & factum eſt.

„ Non deſunt etiam,qui aſſerant, quod non omnes illius primæ „ congregationis conſenſerint illi decreto. Nec ipſe Joannes „ XXIII. qui ſe clam ſubduxerat , primum adhibuit conſenſum, „ vel authoritatem ſuam. Dicitur enim fuiſſe conqueſtus poſt ab-„ ceſſum ſuum , aliqua eſſe decreta erronea & falſa , adversùs au-„ thoritatem Romani pontificis. Præterea ipſa tota Synodus ex „ tribus partibus in unum conſentiens , & congregata , videtur „ ſtatutis ſuis ſignificaſſe, decretum illud nunquam in mentem „ ſuam incidiſſe. Primò id apparet ex eo , quod in ſeſſione 40. „ *Sacroſancta Synodus Conſtantienſis ſtatuit & decrevit,quod futurus Roma-„ nus Pontifex per Dei Gratiam de proximo aſſumendus , cum hoc Sacro Con-„ cilio, & deputandis per ſingulas nationes, debeat reformare Eccleſiam in ca-„ pite Romana Curia , ſecundùm æquitatem & bonum regimen Eccleſiæ.* „ Et articulo 13. *Propter quæ , & quomodo Papa poßet corrigi & „ deponi.* Ecce quod datur intelligi ſatis apertè , quod Synodus „ adhuc determinandum reliquit, quibus cauſis , & quali modo „ Papa poſſet corrigi , vel deponi. Adde, quod Concilium electo „ Martino , petiit ab eo confirmationem decretorum ſuorum, „ juxta morem antiquum obſervari conſuetum in Conciliis. „ Prætereà in litteris condemnationis errorum Joannis Wiclef & „ Joannis Hus hoc manifeſtè apparet. In quibus Martinus V, appro-

„ approbante, & conſentiente Concilio, damnat certos articulos, „ quorum unus: *Quod Petrus non eſt, nec fuit Caput Eccleſiæ Catholicæ.* „ Alius articulus eſt, de quo mandat præfatus Dominus Martinus V. Prælatis, & Inquiſitoribus Fidei, ut inquirant ſuſpectos de præfatis erroribus, & quærant ab eis utrum credant: *Quod Papa Canonicè electus ſit Succeſſor B. Petri, habens authoritatem ſupremam in Eccleſia Dei.* Hìc vides approbante, & conſentiente Concilio, determinari errorem eſſe, quod Papa canonicè electus, non habeat ſupremam poteſtatem in Eccleſia: quod non ſtat ſimul cum eo, quod Concilium ſit ſuperius Papâ".

"Et quamvis vacante Sede, ſumma poteſtas ſit apud Concilium, „ ſi ſit alicubi legitimè congregatum, ſicut erat Conſtantiæ ante electionem Martini; tamen factâ canonicâ electione, jam poteſtas ſuprema eſt apud electum: id quod vindicat ipſe tenor litterarum ante electionem, & poſt, expeditarum. Ante enim fiebant nomine Concilii, hoc modo. Sacroſancta Synodus &c. Electo verò Martino, fiebant nomine Martini, ſic. Martinus Epiſcopus &c. Sacro approbante, & conſentiente Concilio. Si igitur placet Concilii Conſtantienſis authoritas, major utique fuit in fine, quàm in principio: & cum eſſet Concilium omnino plenarium, quàm quando ſolùm partiale erat, & hìc apertè aſſerit, Papam canonicè electum, habere ſupremam poteſtatem in Eccleſia: & hoc decernit Pontifex conſentiente & approbante Concilio, quod decretum quamvis ut declaratum eſt, non repugnet priori, tamen majoris eſt roboris: & ſi priori repugnaret ei magis ſtandum eſſet.

Joannes Driedo lib. 4. de Dogmat. cap. 4. verſus finem, agens de Quæſtione illa, "Utrum univerſale Concilium ſecluſô Papâ, „ ſit ſupra Papam, id eſt, utrum Papa ſit ſubjectus poteſtati Eccleſiæ univerſalis, ſicut ſubditus Duci ſuo", pro parte affirmativa adfert ſuprà citatum decretum Concilii Conſtantienſis. Quo non obſtante reſolvit. "Ipſum Romanæ Eccleſiæ Epiſcopum, „ Chriſti Vicarium, Apoſtoli Petri Succeſſorem, cæteris omnibus „ Epiſcopis eſſe Prælatum, & Rom. Eccleſiæ, ceu Fidei Magiſtræ „ ac Matris (cujus vis, & Poteſtas Eccleſiaſtica eſt in Pontifice) „ ſententiam prævalere omnibus ſententiis aliarum Eccleſiarum

„ à Romana Eccleſia diſcrepantium". Addit pro intellectu Conſtantienſis Concilii. " Papa in cauſis Fidei, & ſchiſmatis perſo-„ nam ſuam tangentis, atque concernentis, ſubjicitur judicio uni-„ verſalis Eccleſiæ, quamobrem ipſe eſſet ab Eccleſia monendus, „ corripiendus, & ſi contumax fuerit, judicandus tamquam ana-„ thema, & vel deponendus, vel declarandus propter contuma-„ ciam ab Eccleſia depoſitus". Sicut jam ante lib. 1. de libert. Chriſtiana conſiderat. 5. clariùs expoſuerat ipſiſmet Concilii Conſtantien. verbis. " Et ideo tempore ſchiſmatis cum non eſt „ in Eccleſia indubitatus Papa, *Quilibet cujuſcumque gradûs, ſtatûs, ſeu* „ *dignitatis, etiamſi Papalis exiſtat, in his, quæ pertinent ad extirpationem* „ *ſchiſmaticis, tenetur obedire Generali Concilio, Eccleſiam Vniverſalem re-* „ *præſentanti*". Idem aſſerit conſiderat. 9. in caſu quo Papa eſſet notoriè Hæreticus, vel de hæreſi ſuſpectus, & diffamatus. " Alio-„ quin, ait, Concilium Generale, neque poteſt, neque debet pleni-„ tudinem Papalis poteſtatis à Chriſto commiſſam Petro, & Suc-„ ceſſoribus ejus tollere, & diminuere, ſed de illa gratias agere „ Deo. Et quamdiu tenetur. Papam habere pro indubitato Papa, „ debet ipſum, ut Vicarium Chriſti, cuſtodem ſuum, & Paſtorem „ nominare, ipſum non increpare, ſed obſecrare ut Dominum &c. „ & ideo tempore ſacrilegi ſchiſmatis in Conſtantienſi Concilio, „ cum non erat ullus certus, & indubitatus Papa, qui juraverat, & „ voverat renunciare Papatui propter Sanctam Eccleſiæ unio-„ nem, quia monitus implere juramenta non curavit, ſed ſprevit, „ & diu ſtetit in ſua obſtinatione, ab eodem Concilio Conſtan-„ tienſi, & priùs à Piſano Concilio, pro hæretico eſt damnatus. „ Et ex his diligenter conſideratis perſpicuum eſſe poteſt, quo-„ nam modo Concilium univerſalis Eccleſiæ eſt ſupra Papam, & è „ contrario Papa ſupra Concilium".

Thomas Stapletonus, controverſ. 6. q. 3. art. 5. ad 8. argum. reſpondet, " Quod decretum illud Concilii Conſtantienſis non „ fuit à legitimo adhuc Concilio promulgatum. Factum enim eſt „ in tempore ſchiſmatis, & ab una ſola obedientia, id eſt, ab illis „ ſolis Epiſcopis, qui Joanni XXIII. obediebant, aliis Epiſcopis, „ qui ſub Gregorii, & Benedicti obedientiis agebant, nondum „ conjunctis. Nec obſtat, quod poſtea Martinus V. approbavit

omnia

„omnia hujus Concilii decreta in materiis fidei. Hoc enim in-
„telligit de quæſtionibus Fidei contra Wiclephum,& Huſſum ibi-
„dem ſolemniter definitis, & deciſis : non autem de omnibus o-
„biter tractatis, quæ ad Fidem pertinent. Ad Concilium Baſile-
„enſe quod attinet, etſi fuerat ab Eugenio IV. approbatum quo-
„ad inchoationem, & proſecutionem aliqualem, nunquam tamen
„ejus decreta ab illo Pontifice approbata fuerant: Imò ſtatim poſt
„in Concilio Florentino ſub eodem Eugenio IV. contraria ſen-
„tentia definita fuit, ut ſuprà n. 8. dictum eſt, his verbis. *Defi-
„nimus Sanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in Vniverſum
„Orbem tenere Primatum, & ipſum Pont. Roman. Succeſſorem eſſe B. Pe-
„tri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ
„Caput, & omnium Chriſtianorum Patrem, ac Doctorem exiſtere, & ipſi,
„in B. Petro paſcendi, regendi, & Gubernandi Vniverſalem Eccleſiam, à
„D. N. Ieſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodum etiam
„in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in Sacris Canonibus continetur.*
„Quibus omnes, tam Græci, quàm Latini Patres ſubſcripſerunt
„in ult. Seſſ. Erroneum eſt igitur aſſerere, Concilium eſſe ſupra
„Papam, quod non eſt univerſalis Eccleſia, niſi (ut plurimum
„ei demus) repræſentativè". Item etiam in Concilio Lateranenſi
ſub Leone X. Seſſ. XI. ita legitur : *Cum etiam ſolum Romanum
Pontificem pro tempore exiſtentem, tamquam authoritatem ſuper omnia
Concilia habentem, Conciliorum indicendorum, transferendorum, ac diſ-
ſolvendorum plenum jus, & poteſtatem habere, nedum ex S. Scriptura te-
ſtimonio, dictis SS. Patrum, ac aliorum Romanorum Pontificum, Sacro-
rumque Canonum decretis, ſed propriâ etiam eorumdem Conciliorum Con-
feſſione, manifeſtè Conſtet.*

Joannes Malderus tract. de Pont. diſp. 4. Dub. 3. ſecundam ex
eiſdem Conciliis objectionem rejicit aiens". Ita quidem decre-
„viſſe Conſtantienſe,& Baſileenſe Concilium, ſed non legitimè.
„Quia authoritate Papæ,nil tale propoſitum erat. Imò Conſtan-
„tienſe non habebat certum Pontificem, qui præſideret : & Jo-
„annes XXIII. qui Concilium inchoaverat,jam deceſſerat, quan-
„do habita eſt Seſſio 4. Deinde illud decretum non eſt factum
„conciliariter, itaque nec probatum à Martino V.qui confirmavit
„illius Concilii decreta de fide, quæ facta erant *Conciliariter*, hoc
„eſt more aliorum Conciliorum, re diligenter examinatâ &c".

„ Item præſentibus omnibus patribus Concilii, aut pleriſque, præ- „ viâque factâ relatione ad Pontificem, ejuſque conſenſu, ac ſuffra- „ gio, aut ſaltem ejus nomine Præſidentis, uti ex ſuprà allegatis eſt „ exploratum: hoc enim eſt in materia fidei *Conciliariter* reſolvere". „ Baſileenſe autem numquam eſt confirmatum à Pontifice, ſed „ verum Pontificem Eugenium depoſuit, qui eodem tempore „ coëgit Concilium Generale Florentiæ. Potiùs enim fuit Con- „ cilium Presbyterorum, quàm Epiſcoporum. Deinde reprobatum „ eſt gigantæum, & ſchiſmaticum illud decretum, quo Conci- „ lium ponitur ſupra Papam, à variis Pontificibus de Sedis ſuæ in- „ juria judicantibus, Eugenio IV. Leone X. & cæteris. Quam- „ vis Nicolaus V. confirmaverat ea, quæ Baſileenſes egerant circa „ beneficia, & cenſuras Eccleſiaſticas. Denique ipſi Baſileenſes „ Patres cum ſuo Anti-papa Felice ceſſerunt, & ſe Nicolao ſubje- cerunt".

Ejuſdem tenoris eſt reſponſio, quam ad Concilii Conſtantien. ſeſſ. 4. & 5. adhibet Joannes Wiggers cit. dub. 4. n. 95. eamque confirmat "ex decreto proximè ſequenti, quod etiam ſatis indicat, „ Joannem XXIII. diſceſſiſſe cum animo diſſolvendi, aut transfe- „ rendi, vel differendi Concilium. Nam contra ejuſmodi cona- „ tum videtur ſecundum decretum ibi expreſsè condi", ſicut tex- „ tus ipſe ſignificat. Nec dici poteſt, " declarationem illam Con- „ cilii tranſiviſſe in abſolutam, & legitimam per ſubſecutam con- „ firmationem Martini V. Quippe" (quod multùm eſt obſervan- „ dum) approbat, & ratificat Pontifex tantùm ea, quæ ſunt de- „ terminata, concluſa, & decreta in materiis Fidei. Jam verò ma- „ nifeſtum eſt, quod Concilium Seſſ. 4. non tractet ex propo- „ ſito materias, aut quæſtiones Fidei, nec intendat ibi dogmata „ Fidei ſtatuere, aut hæreſes, vel errores damnare; ſed tantùm „ condere quædam decreta, quæ ſerviant ad tollendum ſchiſma, „ quod tunc vigebat, & ad Eccleſiæ unitatem conſervandam, aut „ reducendam. Unde talis præmittitur præfatio. *Hæc Sancta Con- „ ſtantienſis Synodus pro exſtirpatione præſentis ſchiſmatis, & unione, ac re- „ formatione Eccleſiæ in Capite* (ſeu Capitibus ſchiſmaticis) *& in „ membris fienda, ordinat, decernit, declarat, ut ſequitur*, &c. Quod „ verò non fecerint per modum definitionis, inde patet; Primò: „ Quod non commiſerint rem illam priùs examinandam, ſicut com- miſe-

„ miſerunt alias materias, & quæſtiones circa Doctrinam Wi-
„ clef, & Hus examinandas, priuſquam ad determinationes pro-
„ cederent. Deinde quia non additur, ita ſecundùm fidem Ca-
„ tholicam eſſe tenendum, nec dicitur anathema contrarium
„ ſentientibus, aut docentibus, quemadmodum inhibetur ab eo-
„ dem Concilio omnibus Catholicis ſub anathematis intermina-
„ tione, ne quis articulos, aut aliquem illorum Joan. Wiclef,
„ quos reprobat, & condemnat, audeat prædicare, dogmatizare,
„ tenere, vel quomodolibet allegare. Non igitur iſta declaratio
„ facta dictâ ſeſſ. 4. comprehenditur ſub iis, quæ *Conciliariter* in
„ materiis fidei ſunt determinata; concluſa & decreta; ac proin-
„ de, nec cadit ſub approbationem Martini V. quæ tantùm reſpi-
„ cit ad doctrinam Wiclef, & Hus condemnatam, per dictum
Concilium.

„Concilium autem Baſileenſe fuit quidem legitimè inchoatum,
„ nam ab initio aderant, & Legatus ſummi Pontificis, & Epiſco-
„ pi plurimi; ſed de poſt Legatus receſſit, & præcipui Epiſcopi
„ omnes; nihilominus tamen quidam voluerunt illud continuare,
„ & munus eidem præſidendi aſſumpſit ſibi Card. quidam Arela-
„ tenſis, & quia pauci Epiſcopi remanſerant, introducti ſunt
„ plurimi Presbyteri, ita ut contra formam antiquorum Conci-
„ liorum, non jam Epiſcoporum, ſed magis Presbyterorum Syno-
„ dus eſſet: imò non Synodus, ſed conciliabulum, ſchiſmaticum,
„ ſeditioſum, & nullius authoritatis, ut declaratur in Concilio La-
„ teranen. ult. Seſſ. xi. quare acta illius non ſunt alicujus valoris,
„ vel authoritatis. Et Nicolaus V. tantummodo approbavit, quæ
„ dictum Concilium ordinaverat, ac ſtatuerat circa beneficia, &
„ circa cenſuras Eccleſiaſticas: reliqua autem neque hic Pontifex,
„ neque ullus alius confirmavit. Imò, ut patet ex 38. ejuſdem Con-
„ cilii, mox Eugenius Papa, quem deponere idem Concilium at-
„ tentaverat, definitiones illas de poteſtate Concilii ſupra Ponti-
„ ficem reprobavit, ſicuti & poſtmodum fecit Concilium Late-
„ ranenſe Seſſ. xi".

Juvat porro ad ampliorem veritatis elucidationem, ipſummet audire PP. Eugenium, ejuſque expendere verba. In conſtitutione Sacro approbante Concilio Florentino promulgata, quæ incipit, *Moyſes Vir Dei*, Baſileenſe conciliabulum deſcribit, quod ad

illud, *etiam Laici, & Clerici, infra Sacros Ordines conſtituti, ignorantes, inexperti, vagi, dyſcoli, profugi, apoſtatæ. de criminibus condemnati, & de carceribus fugientes, Nobis, & ſuis ſuperioribus rebelles, & reliqua iſtiuſmodi hominum monſtra concurrerent.* Quales Patres! Quale Concilium! ſicque præclara iſta Synodus redacta eſt ad factionem, ex vili plebe conſtantem, ut Spondanus narrat ad an. 1437. Legati Cardinaleſque omnes uno excepto Arelatenſi diſceſſerant, Epiſcopi, qui remanſerant in partes diſtracti erant, Panormitanus cum collegis, & aliis Arragonenſibus, qui Præſulum numero prævalebant, pro Summi Pontificis authoritate ſtabant, pars alia quorumdam Theologorum, Juriſtarum, accitorumque ex vicinis oppidis ac urbibus Sacerdotum inconditâ multitudine conſtabat, inter cujus clamores, ſtrepitus, tumultus, quales ſolent in præliis tubarum clangores, equorum fremitus audiri, cum ſignis collatis duo invicem concurrunt exercitus, intentatis inſuper atrocibus minis, per vim, & fraudem extorta eſt Concluſio trium propoſitionum de authoritate Concilii ſupra Papam (quas Fidei veritates vocabant) renitentibus, ac reclamantibus Panormitano, Arragonenſibus, ac Collegis Epiſcopis. Earum promulgationi nullus Arragonenſium Prælatorum interfuit, nulluſque omninò ex tota Hiſpania: Ex Italia ſoli Groſſetanus Epiſcopus, & Abbas de Dona: Ex duabus aliis nationibus mitrati fuerunt ſolum viginti, plerique Abbates. Hæc omnia latè referunt Spondanus ad an. 1439. & Æneas Sylvius, lib. 1. de geſtis Baſileen. Concilii, qui coram adfuit, & Baſileenſibus favebat. & atteſtatur, rem inauditam factam ab Arelatenſi, ut promulgationi authoritatem aliquam conciliaret, futuram cogitans Epiſcoporum paucitatem, " plurimas Sanctorum " Reliquias totâ urbe perquiri juſſit, ac per Sacerdotum manus in Seſſione portatas, abſentium Epiſcoporum locum tenere". Igitur nec ſpeciem, & ne vel umbram quidem alicujus Oecumenicæ, vel legitimæ Synodi habebat iſta Seſſio, *in qua*, (pergit Pontifex) *quibuſdam Decretis, licet per unam tantùm ex tribus obedientiis poſt receſſum Ioannis XXIII. ſic in eadem obedientia nuncupati, Conſtantiæ, ſchiſmate tunc vigente editis, inhærere ſe dicentes, memorati ſcandalorum Duces numero pauciſſimi, quorum plerique conditionis infimæ, & nominis, tres propoſitiones, quas Fidei veritates vocant, protulerunt. In hoc pernicioſiſſimi, dum ſuam malignitatem ſub veritatis Fidei fuco colorant, Conſtantienſe Concilium,*

cilium in malum ac reprobum ſenſum, & à ſana doctrina penitus alienum pertrahunt.

Duo hic affirmat Eugenius. Primum; Synodi Conſtantienſis Decretum, de poteſtate Concilii ſupra Papam fuiſſe factum à ſola obedientia Joannis XXIII. poſt ejus receſſum à Concilio. Secundum; à Baſileenſibus illud, in malum ac reprobum ſenſum fuiſſe pertractum. Utrumque perſpicuum eſt. Et primum ex Actis Concilii clarè patet, & teſtatur hic ipſe Eugenius non ſolùm qui Cardinalis exiſtens Conſtantiæ in Concilio præſens aderat, ut in ſuis Conſtitutionibus *Salvatoris*, & *Doctoris Gentium*, quæ in principio Concilii Florent. leguntur, verùm etiam Joannes de Turrecremata Ord. Præd. lib. 20. de Eccleſia cap. 99. qui & ipſe pariter eidem Concilio Conſtantien. interfuit, reſolvitque "Decreta illa de poteſtate Concilii ſupra Papam, nullius eſſe roboris vel momenti, quoniam in illorum determinatione, non modò non intervenit univerſalis Eccleſia, ſed una obedientia tantùm Joannis XXIII. ſed etiam nec integrè tota illa obedientia: quoniam plures Patres doctiſſimi illius obedientiæ illis non præſtiterunt aſſenſum, imò nec ipſe Joannes XXIII". Unde infert temerarium eſſe, & ſcandaloſum dicere, quod Congregatio unius ſolius obedientiæ faceret Concilium Generale. Nec Decreta iſta aliquem valorem acquirunt à confirmatione Martini V. Quia in Actis Concilii prima mentio de materiis Fidei, & deputandis commiſſariis ſuper erroribus Wiclef, & Hus, fit in Seſſ. ſexta, & in octava condemnantur Hæreſeos. Proinde ab octava dumtaxat Seſſ. ſumendum eſt primum Fidei Decretum, & ſubſequentium, quæ in hac generali approbatione confirmavit Martinus, adeoque poſt illud Decretum de poteſtate Concilii ſupra Papam factum Seſſ. 4. & 5. Idipſum optimis rationibus confirmans Andreas Duvallius Doctor Sorbonicus ad 2. 2. Tract. de comparat. Papæ, & Concilii q. 7. Gallos adhortatur "*ne definitionem hanc Concilii Conſtantienſis, tamquam verè & propriè Oecumenici adeo pugnaciter urgeant.*

Secundum in Eugeniana Conſtitutione aſſertum eſt, quod etiamſi daretur, ſeu admitteretur, Decretum illud Conſtantienſe, & ab initio fuiſſe legitimè conditum, & poſtea à Martino V. ritè approbatum, adhuc tamen illud *in malum ac reprobum ſenſum* ſit à Baſileenſibus contortum. Siquidem Decretum illud in Seſſ. 4. & 5. Conci-

Concilii Conſtantienſis, facit quidem pro ipſo Conſtantienſi, & quocumque alio Concilio Generali legitimè congregato, ſed limitativè tantummodo & reſtrictivè: videlicet *in his, quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem Schiſmatis.* Unde iterum replicantur illa verba, *ſuper præmiſsis, ſeu ad ea pertinentibus.* Propterea illa etiam verba, *& reformationem Eccleſiæ, in capite, & in membris,* ut optimè ait Gravina tom. 4. de Cath. Præſcript. p.2. diſp.1. a. ult. dub. 1. ad arg. tertiæ Claſſis, non intelliguntur de reformatione quacumque, univerſali, & indefinita, ſed de reſtrictiva tantùm, ad caſus illos contingentes ex hæreſis, vel Schiſmatis occaſione. " Concilium " enim congregatum in caſu Schiſmatis, non habet immediatè po- " teſtatem à Chriſto ad ordinandam Univerſalem Eccleſiam, ſed " ad providendum illi caſui tunc occurrenti, ut ait Cajet. opuſc. " de poteſt. Papæ cap. 16. Itaque ſecundùm ſubjectam materiam ejus temporis, & occaſionis, loquitur, & decernit Concilium Conſtantienſe, quando, ut ait Turrecremata ubi ſupra", non eſt in Eccleſia unus Paſtor totius Eccleſiæ indubitatus, cap. *Si duo.* diſt. 79 ". & Cajet. opuſc. citato ſic ait cap. 8. "Qui neſcitur legitimè electus Papa, tamquam non Papa obedire tenetur". Dubius Papa habetur pro non Papa, ideoque habere ſuper illum poteſtatem, non eſt habere poteſtatem ſupra Papam. Eadem habet And. Duvallius ubi ſuprà, his verbis: " Concilium certum, ,, incerto & dubio Pontifice eſt ſuperius, eumque poteſt ,, & debet deponere, ſi de alterius Jure magis conſtet, aut ſaltem, ,, aliquem de novo eligere: ut in Concilio Conſtantienſi factum eſt". (& infra) 'Concilium Conſtantienſe diffinit, Concilium ,, eſſe ſuperius Pontifice dubio, & incerto: quod accidit, quando ſchiſmate laborat & vexatur Eccleſia, & jura contendentium omni ex parte ſunt dubia: tunc enim nemo dubitat, quod in Eccleſia ſit poteſtas ad dubios illos Pontifices, vel alterum eorum loco ſufficiendum: hæc Duvallius. Verba igitur Decreti limitativa & reſtrictiva in *his, quæ pertinent ad extirpationem ſchiſmatis*, ſunt clara. Et eodem modo ſunt intelligenda eadem verba circa particulam illam *in his, quæ pertinent ad fidem:* ad fidem enim reducitur declarare in ſchiſmate plurium Pontificum, quis eorum ſit Papa, & utrum hic, vel alius, ſeu alii deponere, & abdicare debeant vel teneantur. Ut conſtat ex interrogatoriis Fidei in Litteris Apoſto-

licis

licis Martini Papæ V. ubi legitur. *Quod Papa Canonicè electus, ejus etiam proprio nomine expreſſo, ſit Succeſſor B. Petri, & habeat poteſtatem ſupremam in Eccleſia Dei.* Ex quo iterum fit manifeſtum, ut rectè advertit Turrecremata: quod hic articulus de ſuprema poteſtate Papæ in Univerſa Eccleſia Dei, non poſſit ſimul ſtare cum illo Decreto de ſuperioritate Concilii; Quoniam, ut habetur *c. inferior* diſt. 21. *Non poteſt quiſquam, qui inferioris auctoritatis eſt, eum, qui majoris eſt, propriis ſubjicere diffinitionibus.* Et qui ſupremam poteſtatem habet ſuper Univerſam Eccleſiam, habet utique etiam ſupra Concilium Generale. And. Duvallius quæſt. 8. & 11. conſtantiſſimè teſtatur, & orbem certiorem reddit, Doctor ipſe Sorbonicus, falsò divulgari, quod pro ſententia poteſtatis Concilii ſupra Papam, Sorbona Pariſienſis Schola juramentum exigat à ſuis: ubi etiam demonſtrat, non id inferri ex juramento ejuſdem Scholæ in articulis contra Lutherum, tempore Franciſci I. Galliæ Regis editis, & ibidem in Tract. de ſuprema Pontificis poteſtate part. 1. in anteloquio quæſt. 3. palam facit, malè nonnullos hâc noſtrâ ætate ſibi aliiſque perſuadere, *Quod Gallia quaſi Palladium veneretur Baſileenſe Concilium, cum illud potiùs quaſi Trojanum Equum, aut Cejanum habeat.* Ubi & de pragmatica Sanctione Caroli VII. Francorum Regis, deque Conciliabulo Bituricenſi optimè diſſerit.

At, Galliæ Theologi, Aliacenſis, Gerſon, Almainus, Papæ authoritatem Conciliis generalibus ſubjectam volunt. Eſt & epiſtola ad Joannem Britonem Romæ tunc agentem data à Carolo Cardinali Lotharingiæ in hæc verba: " Ego negare non poſſum, " quin, Gallus ſim, & Pariſienſis Academiæ alumnus, in qua Ro" manum Pontificem ſubeſſe Concilio, tenetur: & qui dicunt ibi " contrarium, tamquam hæretici notantur". Occurrens memoratis Theologis Duvallius, & ipſe Sorbonæ Doctor, tract. de ſup. Rom. Pont. poteſt. p. 2. q. 1. negat " in re Pontificia alicu" jus eos eſſe authoritatis: quia tempore ſchiſmatum floruerunt, " & ſcripſerunt: duo priores, quando tres ſe pro Pontifice gere" bant: poſtremus verò tempore Julii II. & conciliabuli Turo" nenſis, quo Gallia ſub Ludovico XII. à Sede Apoſtolica defe" cerat". Et de Gerſone ſpeciatim, monet Franciſcus à Victoria relect. 4. propoſ. 5. " Ille Doctor per omnia fuit infeſtus autho" ritati ſummorum Pontificium, & multos alios infecit ſuo veneno.

„ neno. Parum enim differt à ſchiſmate ejus ſententia". Similiter Card. Cajetanus opuſc. de authorit. Papæ, & Concilii cap. 10. " Novam appellat imaginationem Joan. Gerſonis periculoſam " valde, & S. Matri Eccleſiæ plurimùm nocivam". Nihilo plus ſubſidii confert Card. Caroli epiſtola, utpote, quæ nihil aliud prodit, quàm animum imbutum aliquando, aut (quod verius) deceptum, falſo illo, ac temerario Baſileenſis Senatûs-Conſulto, quo ſeſſ. 33. declaratur inter cætera, " Quod veritas de poteſtate " Concilii Generalis ſupra Papam, *eſt veritas Fideî Catholica*, cui " pertinaciter repugnans, eſt cenſendus Hæreticus". Exclamat " hìc Spondanus ad an. 1339. Nonne ſunt iſta præclarè in Spiri- " tu Sancto concluſa? ô propudium! ô colluviem! Et à quali- " bus & quantis Patribus? Næ, qui paulò ſuperiùs producti ſunt, „ eodem iterum habitu prodeant. Eugenii IV. conſtitutione jam " recitatâ, *Moyſes*, Concil. Florentino approbante editâ, exhibentur " *ſcandalorum duces pernicioſiſſimi, miſeri, ac degeneres filii, prava & adulterina generatio, latrocinium, ad quod totius Orbis Dæmonia confluxiſſe videantur, impii homines, à Deo abjecti, & reprobati, omnes, & ſinguli Schiſmatici, & hæretici &c.* Nimirum his, iiſque paucis admodum, opus fuit, ut reclamantibus pluribus, ac præcipuis Epiſcopis ac Patribus, tam bella ſcilicet *Veritas Fidei Catholica*, à Cardinali Arelatenſi Conventiculi Præſide, per vim & tumultum, ut vidimus, extorqueretur. De eo ſic habent notæ in Colonienſibus, & Pariſienſibus Conciliorum tomis. *Hanc Synodum authoritate legitimâ reprobatam eſſe conſtat ex ſeſſ.* XI. *Concilii Lateranenſis ſub Leone X. celebrati. Vbi Conciliabulum ſchiſmaticum, ſeditioſum, & nullius prorſus authoritatis, non immeritò appellatur.* Et atteſtatur Duvallius l. c. in Antilog. §. *quo pacto*". ab univerſa Eccleſia exploſum, & rejectum „ ſemper fuiſſe Concilium illud" utique cum ſua illa *Veritate Fidei Catholica*. Tum etiam ex hiſtoriis oſtendit, Carolum VII. Galliarum Regem, ejuſque exemplo & Gallos ab iſto Concilio abhorruiſſe; jure meritò certè. Etenim Petrus à Monte, Brixienſium Epiſcopus, in ſua Monarchia, concluſ. 3. cenſet, " quòd jura " omnia pervertunt, dicere audentes, Concilium eſſe ſupra Papam". Sed nec in ſua opinione perſtitit Lotharingiæ Cardinalis Carolus: imò ipſum in Concilio Tridentino præ cæteris ſuæ Nationis hominibus Apoſtolicæ Sedis Primatum, ac authoritatem impen-

impenſiore ſtudio propugnaſſe, teſtatur iſtius Concilii hiſtoria lib. 19. cap. 6. & cap. 13.

Ex hactenus dictis fit exploratum, longè à veritatis tramite deviare, qui etiamnum modò ſuſtinent, " Illa de authoritate Conci-" liorum Generalium, quæ Seſſ. 4. & 5. Concilii Conſtantienſis " continentur, decreta, eſſe à Sede Apoſtolica comprobata, ipſo-" que Romanorum Pontificum, ac totius Eccleſiæ uſu confir-" mata, atque ab Eccleſia Gallicana perpetuâ Religione cuſto-" dita". Sententiam quippe, quæ Romanum Pontificem omni Concilio ſuperiorem ſtatuit, teſte iterum Sorbonæ Doctore Duvallio l.c.p. 4. q. 7. "*Totus Orbis* (extra quem non eſt Gallia) *exceptis pauculis Doctoribus, amplectitur : & rationibus validiſſimis, cùm ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, tum ex principiis Theologiæ petitis confirmatur*".

ARTICULUS III.

Reges & Principes Chriſtiani, ſecundùm quòd eorum poteſtas temporalis ſubordinatur fini ſpirituali, ita ſubſunt Poteſtati Eccleſiaſticæ (quæ plenariè in Papa reſidet) ut & ipſi Regno ac Principatu privari, eorumq; ſubditi eximi à fide, atque obedientia, ac præſtito fidelitatis Sacramento ſolvi poſſint.

VErùm id eſſe non tantùm in caſu apoſtaſiæ à Fide, verùm etiam quorumdam aliorum criminum, propter quæ Principes palam & jure merito excommunicari contingit, diſertè tradit Præceptor Angelicus 2. 2. q. 12. art. 2. docens: *Aliquis per infidelitatem peccans poteſt ſententialiter jus Dominii amittere, ſicut etiam quandoque propter alias culpas.* Ipſum ſequuntur Doctores Lovanienſes.

Jacobus Latomus cap. XIII. rationes aſſignans, ob quas Principes Chriſtiani obedientiam Eccleſiæ debeant, nimirum, " Quia " is, qui baptizatur, Chriſti, & Eccleſiæ legibus ſubjicitur, tam-" quam is, qui factus eſt pars ejuſdem corporis, & familiæ ad-

" adſcriptus, & civitate donatus", continuò ſubdit. " Jam ſi quid " deliquerit, ceu frater monendus & judicio Eccleſiæ (quæ judicat de his, qui intus ſunt) ſiſtendus: & ſi ejus judicium contumaciter ſpreverit, per Eccleſiæ ſententiam à corpore abſcindendus, & excommunicandus, juxta legem Evangelicam Matthæi 18. ſcriptam: *Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut Ethnicus & Publicanus*". Inde cap. XIV. concludit. " Ex eiſdem Principiis conficitur, Regem, aut alium quemlibet terrenum Principem Chriſtianum, Regno, vel Principatu jure privari poſſe per Eccleſiam. Quia regnum & Principatus cum perſonis, ut ſupra dictum eſt, in Eccleſiæ corpus & jus tranſit per Sacrum Baptiſma, & per Chriſtianæ Religionis liberam acceptationem Chriſto, & Sponſæ ejus Eccleſiæ dedicatum, & conſecratum, & donatum donatione irrevocabili: cum nulla poſſit eſſe juſta cauſa ab Eccleſia recedendi. Igitur Rex, vel Princeps, ſervato ordine juris, anathematizatus, & incorrigibilis, animo obſtinato in ſcelere perdurans, deponi, ac privari poteſt. Eadem enim eſt juſtitiæ formula ſecundùm S. Evangelium, quâ Rex & Miles cenſentur. Quò perſona major eſt, & potentior, eò difficilior executio ſententiæ, ſed in facto, non in jure difficultas ſita eſt. Adde, quod Apoſtata à Chriſto, & Eccleſia, Hæreticus, aut Schiſmaticus reus eſt criminis læſæ Divinæ Majeſtatis. Meretur itaque perdere & vitam, & bona. Inde prodeunt omnia jura, & omnes leges pœnales contra Apoſtatas, Hæreticos, & Schiſmaticos latæ".

Joannes Driedo de libert. Chriſtiana, conſiderat. 9. & 10. & lib. 2. cap. 4. poſt medium in eadem perſtat ſententia, affirmans, " Quod Papa, ex plenitudine poteſtatis ſuper Univerſos Chriſtianos Principes, poteſt hæreticos Reges, ac Principes propter crimen hæreſis privare ſuis Regnis atque Imperiis, & in temporalibus prorſus eximere plebem Chriſtianam ab obedientia, & ſubjectione eorum. Eatenus enim Papæ ſubjiciuntur etiam circa temporalia, quatenus temporalia hæc ad ſpiritualia tamquam ad finem ſunt ordinanda. Et ideo omnis ſæcularis poteſtas eatenus in temporalibus ſubjecta eſt Papæ, quatenus abuſio, aut negligentia Chriſtianorum Regum circa temporalia, nata ſunt impedire finem ſpiritualem, in quem Papa habet univerſam Eccleſiam.

" ſiam dirigere. Atque ex jure Divino ratione curæ Paſtoralis
" poteſtatem habet in Imperatorem Chriſtianum perinde, atque
" Pater ſpiritualis in filium, & tamquam Paſtor in ovem ſuam: Et
" ideo ſuper his, quæ concernunt directionem Imperii ejus in
" fide, & moribus Chriſtianis, & in cauſis, & officiis ſpiritualibus
" diſponendis, & in Epiſcopatibus per loca, vel civitates inſti-
" tuendis, Imperator ipſe ſubjectus eſt Papæ. Et ideo Imperator,
" ſi laberetur in hæreſim, aut denegaret publicam juſtitiam pau-
" peribus, & oppreſſis, aut leges conderet in præjudicium Chri-
" ſtianæ Fidei, jam eſſet à Papa judicandus & corrigendus. Sic
" B. Ambroſius, quamvis non fuerit Univerſalis Eccleſiæ Epiſco-
" pus, Thodoſium Imperatorem, Beatus quoque Innocentius
" Arcadium Imperatorem excommunicavit". Ex quo S. Ambro-
ſii facto, Joannes Sinnichius in Goliathiſ. cap. 75. §. 243. &
cap. 76. §. 246. ac alio etiam ſimili, quo S. Fabianus Philippum I.
Chriſtianum Imperatorem ab Eccleſia extorrem fecit, item ex
verbis S. Ambroſii dicentis in Orat. adversùs Auxentium, *Imperator bonus intra Eccleſiam, non ſupra Eccleſiam eſt*, probat Cæſarem, &
Regem Chriſtianum Summi Pontificis poteſtati eſſe ſubjectum.

Thomas Stapletonus Controverſ. 3. q. 5. art. 2. pro explica-
tiore hujus rei comprobatione hanc adhibet diſtinctionem.
" Principes Chriſtiani, quatenus Chriſtiani, etiam quatenus Prin-
" cipes aliquo modo ſubjiciuntur ſupremo Eccleſiæ Paſtori Ro-
" mano Pontifici. Quia tota poteſtas civilis ſubordinatur aliquo
" modo, ſcilicet reſpectu finis, poteſtati ſpirituali. Hinc ſi quid
" agat aut decernat civilis poteſtas, quod repugnat fini ſpirituali
" poteſt illa, & debet per ſpiritualem poteſtatem coërceri: ideo
" Romanus Pontifex in caſu hæreſis Principem aliquem dominio
" privare immediatâ authoritate poteſt in caſu neceſſitatis, dando
" illud regnum alteri Orthodoxo Principi, vel primo victori Or-
" thodoxo illud aſſignando: tamen debet hoc primò tentare per
" populum ipſum, aut ordines Regni, aut Senatum Civitatis, aut
" alium vel alios, qui in hac parte poteſtatem ordinariam habent:
" & hoc eſt mediatâ authoritate procedere. Imò Romani Pontifi-
" ces de facto, ubi vel Reipublicæ vel Eccleſiæ bonum id poſtu-
" lavit, aliquos Chriſtianos Principes depoſuerunt, aliiſque jus
" regni contulerunt, extra caſum hæreſis, multò magis in tali

„ caſu poſſunt. Zacharias Papa, exauthorato Rege Francorum, „ Pipinum Caroli Magni Patrem, illi regno præfecit. Innocen- „ tius IV. Regi Portugalliæ interdixit regni adminiſtrationem, „ cap. *Grandi* de ſupplenda negligent: in 6. fratrem ejus ſubſti- „ tuens. Quare non ſolùm Bonifacius VIII. in Extravag. *Unam* „ *Sanctam* de Majorit. & obedient. hanc poteſtatem Romanis Pon- „ tificibus venditat, ſed & D. Bernardus lib. 2. ad Eugenium eam- „ dem accuratè docet, & poſt eum multis argumentis defendit „ Joan. de Turrecremata lib. 2. de Eccleſia cap. penult".

Defendunt etiam Joannes Malderus tract. cit. primæ aſſertioni diſput. 8. ſubnectens ſecundam partem hanc". Papa habet poteſta- „ tem Spiritualem, quæ ſe extendat ad temporalia, non ut talia, „ ſed ut ſunt media finis ſpiritualis & quatenus finis poteſtatis tem- „ poralis ſubeſt fini ſpirituali, quem ex munere ſuo Papa curare de- „ bet. Probatur ex Bernardo lib. 4. de conſideratione. Etiam ex c. „ *novit.* De judiciis ubi Pontifex ita dicit: *nullus, qui ſit ſanæ mentis,* „ *ignorat, quin ad officium noſtrum ſpectet, de quocumque peccato corripere* „ *quemlibet Chriſtianum; & ſi correptionem contempſerit, per diſtri-* „ *ctionem Eccleſiaſticam coërcere.* Ex quo loco alibi diximus, per- „ tinere quodammodo ad legem Eccleſiaſticam, cohibere om- „ nia vitia. Cohibebit itaque etiam illa, quæ ex neglectu vel ab- „ uſu vel contemptu poteſtatis poſitæ admittentur, quatenus ea „ fini ſupernaturali adverſantur; quod eſt indirectè habere pote- „ ſtatem in temporalia, quatenus nimirum ipſa quodammodo ra- „ tionem ſpiritualitatis induunt.

„ Ex hac poteſtate poteſt interdùm Papa Principes in ſuæ Ju- „ riſdictionis uſu delinquentes, cenſuris coërcere, & valde ne- „ gligentes interdum deponere. Ita Zacharias Papa depoſuit „ Childericum Francorum Regem, de quo ita legimus 15. q. 6. c. „ *Alius. Zacharias Regem Francorum non tam pro ſuis iniquitatibus, quàm* „ *pro eo quod tantæ poteſtatis erat inutilis, à regno depoſuit: & Pipinum Ca-* „ *roli magni Imperatoris Patrem in ejus locum ſubſtituit, omneſque Franci-* „ *genas à Iuramento fidelitatis, quod illi fecerant, abſolvit.* His inferen- dum venit exemplum Philippici Imp. Iconomachi, & Monothe- litæ, quem Papa Conſtantinus habito Romæ Concilio horribili anathemate percuſſit, diris devovit & exautoravit: ut refert Si- gon. lib. 3. Regni Ital. ex Chron. Martini; & Beda lib. 2. de rat.

tem-

„ tempor. Pergit Malderus. " Leo Papa iſtius nominis tertius, „ tranſtulit Imperium à Græcis in Germanos, teſte Innoc. III. c. " *Venerabilem* de electione. Innocentius IV. Regi Portugalliæ in- „ terdixit Regni adminiſtrationem, deditque ei fratrem ſuum co- „ adjutorem: ut habetur c. *grandi*, de ſupplenda negligentia Præ- „ latorum in 6. Gregorius Magnus ſub pœna privationis honoris „ ſui, Regibus præcipit, ut ſervent privilegia Monaſterii S. Me- „ dardi lib. 12. Epiſt. ultima. Similia exempla plurima ſunt alio- „ rum Pontificum: Gregorii III. qui Leonem tertium Iconoma- „ chum Imperatorem exauctoravit. Gregorii VIII. qui depoſuit „ Imperatorem Henricum III. & Boleſlaum Regem Poloniæ. In- „ nocentii III. qui Ottonem IV. Imperio exuit. Honorii III. „ qui Imperio abdicavit Fredericum. II. Clementis VI. qui Ludo- „ vicum IV. ab Imperio depoſuit. Pauli II. qui Georgium Bo- „ hemiæ Regem regno privavit.

„ Poteſt ſecundò Papa, propter contumaciam Principis, ſub- „ ditos ab ejus obedientia abſolvere c. *nos* 15. q. 6. hâc poteſtate „ aliquando debere Papam uti, ſtatuitur cap. 3. Concilii Latera- „ nenſis ſub Innoc. III. *Si ſatisfacere contempſerit infra annum, ſigni-* „ *ficetur hoc ſummo Pontifici: ut ex tunc ipſe vaſallos ab ejus fidelitate de-* „ *nunciet abſolutos, & terram exponat Catholicis occupandam.* Ita Con- „ cilium. Mitiùs ſanè, quàm Calvinus, aliique noſtri temporis „ Sectarii, qui Principes, eo ipſo quo fidei (hoc eſt ſectæ ſuæ) „ reſiſtunt, docuerunt excidere Principatu. Calvinus in cap. 6. „ Dan. Synod. Calviniana habita Bernæ anno 1572. Goodma- „ nus libro Genevæ impreſſo, cujus argumentum in titulo eſt, „ *Quemadmodum Superioribus Magiſtratibus obediendum ſit*". Et Joan- nes Wiggers tract. de Pontifice dub. 2. n. 151. ubi ita diſcurrit: " Quare etiam cum juxta Philoſophum 1. Ethic. cap. 1. ita ſub- " ordinentur artes, & Facultates, quemadmodum inter ſe ſub- " ordinantur eorum fines, idque lumine naturali notum ſit, con- " ſequens omnino eſt, etiam ſæcularem & terrenam poteſtatem ac " Reges & Princeps, eâ præfulgentes, proinde ſuo modo ſub- " ordinari ſpirituali & cæleſti poteſtati, ita ſcilicet: ut leges Civi- " les, contra finem ſublimiorem militantes, per Canones corri- " gantur: &, ſi Principes pervicaciùs authoritate ſuâ abutantur " contra bonum ſpirituale, & in perniciem ſalutis animarum, poſ-

" ſint à poteſtate ſpirituali pœnis convenientibus coërceri. Hanc " ſubordinationem recognovit D. Greg. lib. 12. Epiſt. 32. ubi " aliquod concedens Privilegium ita concludit : *Si quis Regum &c. " hujus Apoſtolicæ authoritatis , & noſtræ præceptionis decreta violaverit, " cujuſcumque dignitatis vel ſublimitatis ſit, honore privetur.* Hanc ag- " noverunt & Proceres Francorum, qui Zachariæ Pontifici ſup- " plicarunt, quatenus Childericum Regem , cujus ſupinâ ſocordiâ " aut ſtupiditate , omnia ſacra , & profana miſcebantur ; ſic , ut " Cathedrales Eccleſiæ à Laicis, & Publicanis poſſiderentur (qua " de re graviter conqueritur Bonifacius, Epiſcopus Moguntinus " & Martyr , in Epiſtola ad præfatum Pontificem) permitteret " Regiô titulô privari, & in Pipinum, qui negotia Regni feliciùs " adminiſtrabat , tranferri : ut patet ex Cedreno in vita Leonis " Iſauri, Paulo Diacono, lib. 6 cap. 5. de Geſtis Longobardo- " rum, & S. Bonifacio in Epiſt. allegata. Uſus fuit & Leo III. " hâc poteſtate , quando Imperium , quod Græci in Occidente " poſſidebant, dum non poſſent Eccleſiæ ibidem laboranti , auxi- " lium debitum præbere & ſuppetias ferre , tranſtulit in Carolum " Magnum & in Succeſſores ejus : in illo quaſi inſtituens Sacri " Olei inunctione Imperium novum & magis Divinum : unde " & Sacrum Imperium appellatur. A quo deinceps Romani Im- " perii ſucceſſio ad alios derivaretur. Horum & quorumdam alio- " rum ſuorum Prædeceſſorum veſtigiis inſiſtens Innoc. IV. ſic, " approbante Generali Concilio Lugdunenſi , contra Frederi- " cum II. Imperatorem procedit. *Nos ſuper præmiſſis & pluribus aliis " ejus* (ſcilicet Frederici Imp.) *nefandis exceſſibus, cum fratribus noſtris, " deliberatione præhabitâ diligenti , cum Ieſu Chriſti Vices , licet immeritò, " teneamus in terris , nobiſq; in B. Petri perſona ſit dictum , quodcumque li- " gaveris ſuper terram , erit ligatum & in cælis ; memoratum Principem, " qui ſe Imperio & Regnis , omniq; honore, & dignitate reddidit indignum, " ſuis ligatum peccatis , omniq; honore & dignitate privatum denunciamus, " & ſententiando privamus : omneſq; , qui ei fidelitatis juramento tenentur " obſtricti, à juramento ejuſmodi perpetuò abſolventes , auctoritate Apoſtolicâ " firmiter inhibemus , ne quiſquam de cætero ſibi tamquam Imperatori pa- reat &c.*

P. Chriſtianus Lupus in Notis ad Dictatum S. Gregorii VII. eamdem rem operosè pertractans , agenſque de Imperatore Fre- derico

derico I. pag. 455. hæc probè obſervanda refert ex Card. Baronio. "*Cum B. Alexander Papa III. Imperatorem benignè ac frequenter ad-*
„ *monitum à ſua perfidia non poſſet ullatenus revocare, cum Epiſcopis & Car-*
„ *dinalibus in Cana Domini apud Anagniam, ipſum, tamquam principalem*
„ *Schiſmatis fautorem, ac Eccleſiæ perſecutorem excommunicationis vinculô*
„ *ſolemniter innodavit, & omnes qui cum eo fidelitatis juramento tenebantur*
„ *adſtricti, ſecundùm antiquam Prædeceſſorum Patrum conſuetudinem ab*
„ *ipſo juramento abſolvit.* Pag. 457. producit quemdam Eccleſiæ Canonem, quem aſſeverat" eſſe revera antiquiſſimum, ex Belluacenſi Synodo, in qua Conon Præneſtinus Epiſcopus, ac Paſchalis II. per Galliam Cardinalis Legatus, publicavit hoc antiquum fragmentum Gregorii IV. *Prædeceſſorum noſtrorum ſtatuta ſequentes, eos, qui excommunicatis fidelitate, aut Sacramento adſtricti ſunt, Apoſtolicâ authoritate, à Sacramento abſolvimus, quouſque ipſi ad ſatisfactionem veniant, & ne eis antea fidelitatem obſervent prohibemus*". Pag. 461. ſic proſequitur. "Etiam Philippum Pulchrum fuiſſe à Bonifacio VIII. Pontifice degradatum, affirmat ſupplementum Abbatis Uſpergenſis. *Bonifacius Regem Galliæ excommunicavit, & titulum Regni Gallici Alberto Imperatori Germanico dedit, ita ut Germaniam, & Galliam committeret.* Audi cauſam. *Implacabiliter enim Rex Franciæ Pontificem offenderat, quod pragmaticam ſanciens, Apoſtolicæ Sedi ſuum per Franciam diminuit honorem*; Pluresque graviſſimas Eccleſiaſticæ Authoritati intulit injurias uti Galliarum etiam Hiſtorici palam teſtantur. Pag. 463." Eâdem ſententiâ Joannem Angliæ Regem ab Innocentio III. excommunicatum, & Clericos & Monachos horrendè perſequentem, tandem Innocentius degradavit", ſicut ſcribit Matt. Pariſienſis ad an. 1212. *De conſilio Cardinalium, Epiſcoporum, & aliorum Virorum prudentum, ſententialiter definivit, ut Rex Anglorum Ioannes à ſolio regni deponeretur, & alius Papa procurante, ſuccederet, qui dignior haberetur. Ad hujus quoque ſententiæ executionem, ſcripſit Dominus Papa potentiſſimo Regi Francorum Philippo, quatenus Rege Anglorum à ſolio Regni expulſo, ipſe, & Succeſſores ſui Regnum Angliæ jure perpetuo poſſiderent. Anno* 1213. *menſe Ianuario redientes à Curia Romana tres Anglorum Epiſcopi, Regi Francorum, & Epiſcopis Gallicanis cum Clero pariter & populo, ſententiam, quæ in Regem Anglorum Romæ pro contumacia lata fuerat, ſolemniter promulgarunt. Tunc Rex Francorum accinxit ſe ad pugnam,* & comparatâ validâ claſſe expeditionem ſuſcepit.

Pro-

Progreditur P. Lupus, & pro juſta ſæcularium Principum in prædictis caſibus per Eccleſiaſticam poteſtatem correptione & condemnatione, allegat pag. 465. Sanctum Papam Gelaſium, qui in Litteris ad Dardaniæ Epiſcopos eam " confirmat exemplis „ Theodoſii Magni, Theodoſii II. Anthemii, Zenonis, ac Baſi- „ liſci Romanorum Imperatorum, nec non Hunnerici Wandalo- „ rum in Africa, & Odoacri Herulorum in Italia, Regis, quos à „ S. Ambroſio, S. Leone, S. Hilario, S. Simplicio, ac etiam à ſe, „ nec non à S. Eugenio Carthaginenſi Epiſcopo demonſtrat fuiſſe „ correptos, compreſſos, ac etiam excommunicatos. Et magnum „ Theodoſium, non ob Chriſtianæ legis Eccleſiaſticum, ſed ob „ Auguſti officii civilem exceſſum fuiſſe ab Ambroſio excommu- „ nicatum, diſertè in ejus vita Presbyter Paulinus; qui de eodem „ Ambroſio pergit. *Maximum Gratiani Auguſti* trucidatorem atque „ invaſorem Imperii *à communionis conſortio ſegregavit*, admonens, ut „ effuſi ſanguinis Domini ſui, & quod eſt gravius, innocentis, „ ageret pænitentiam. Etiam hìc vides Auguſtum Principem, ob „ civilem exceſſum fuiſſe excommunicatum. Si orbis totius Prin- „ ceps Auguſtus ita poſſit ab Eccleſia percuti, quid ni poſſint & „ privatatum Gentium Reges"? Pag. 468. ait, "Ejuſmodi indi- „ rectam Imperatorum ac Regum degradandorum viam, Mater „ Eccleſia habet non ſolùm validam, ſed & legitimam. Pag. de- „ nique 476. hanc à ſe dictis apponit Coronidem. "Septimi Gre- „ gorii tempore vigebat regula, quâ Regem anno integro in Pa- „ pali excommunicatione ſordeſcentem, exuebat omni Jure Re- „ gni. Nemo tunc Chriſtianus de ipſa dubitabat. Et etiamnum „ in Gallia vigere legem, quæ nullum hæreticum regnare permit- „ tat, affirmat Jacobus Auguſtus Thuanus. Ex hac Henricus IV. „ nuper, non niſi factâ ſolemni Fidei profeſſione, admiſſus fuit ad „ Regnum. Et de Imperatore, Regibus, Ducibus, Principibus, „ Marchionibus, Comitibus cunctiſque aliis Laicis poteſtatibus, „ duellis, in ſua terra, locum permittentibus, ſtatuit Sacroſancta „ Tridentina Synodus, eo ipſo ſint excommunicati, & Juriſdi- „ ctione ac Dominio Civitatis, Caſtri, aut loci, in quo vel apud „ quem duellum fieri permiſerint, quod ab Eccleſia obtinent, pri- „ vati intelligantur, & ſi feudalia ſint, directis Dominis ſtatim „ acquirantur. Et de ipſis duellantibus ac eorum Patronis: ex-

com-

„ communicationis, ac omnium ſuorum bonorum proſcriptionis, „ & perpetuæ infamiæ pœnam incurrant. Non minorem in totum Regnum, quàm in unam ejus Civitatem; non item minorem in directum, quàm in utile ipſorum dominium, Eccleſia „ habet poteſtatem. Utì ergo utilì, aut feudalì, ita directô unius „ Civitatis, adeoque & totius Regni dominiô, poteſt omnino „ privare. Hinc enim utroque ipſos, ſi quidem Reges forent, exuit „ cum ſuis Patronis duellantes. Generalis eſt enim iſte Canon, adeoque non ſolam plebem, ſed & ipſos Reges comprehendit". Qui non minùs, quàm reliqui fideles omnes, utpote unius pariter ovilis oves, Chriſti in terris Vicario, totiuſque ovilis ejus ſupremo Paſtori Romano Pontifici obedire tenentur, & colla ſubmittere in iis omnibus, quæ Fidei, juſtitiæ, bonoque ſpirituali ſubſerviunt, ſicut & corpus animæ. Eam ob cauſam, ut edifferit Angelicus Doctor lib.1.de Regim.Prin.cap.14. *Hujus Regni* (Eccleſiaſtici nempe, quod Chriſtus inſtituit) *miniſterium, ut à terrenis eſſent ſpiritualia diſtincta, non terrenis Regibus, ſed Sacerdotibus eſt commiſſum, ſed præcipuè Summo Sacerdoti, Succeſſori Petri, Chriſti Vicario, Romano Pontifici, cui omnes Reges populi Chriſtiani, oportet eſſe ſubditos, ſicut ipſi Domino noſtro Ieſu Chriſto. Sic enim ei, ad quem finis ultimi cura pertinet, ſubdi debent illi, ad quos pertinet cura antecedentium finium, & ejus imperio dirigi.*

Hæc qui mente ſyncerâ, & à præjudiciis liberâ, omniqúe vel ambitionis, vel adulationis fucô exemptâ, ſedulò expenderit, facillimè advertet, ſententiam affirmantium, " Reges & Principes in „ temporalibus (quando altior finis ſpiritualis boni ita exigit) „ Eccleſiaſticæ poteſtati Dei ordinatione ſubjici, atque authoritate „ clavium Eccleſiæ indirectè deponi, & illorum ſubditos eximi à „ fide atque obedientia, ac præſtito fidelitatis Sacramento, ſolvi „ poſſe, eamque ſententiam publicæ tranquillitati neceſſariam, nec „ minùs Imperio, quàm Eccleſiæ utilem, ut verbo Dei, Patrum tra-„ ditioni, & Sanctorum exemplis conſonam, omnino retinendam", denique retinendam etiam, atque diligenter obſervandam prænominatorum Profeſſorum Lovanienſium doctrinam, Superioribus Articulis expreſſam, quam omnem hìc exſcripſiſſe non eſt paſſa libelli anguſtia. Abundè eſt, hæc potiora inde decerpſiſſe, nec auxiſſe ex proprio, aut Recentiorum Authorum ſenſu, ſed ex penetralibus veterum eduxiſſe.

P A R Æ N E S I S.

Poſſent paginæ latè impleri efficaciſſimis præfatorum Doctorum ratiocinationibus, & momentis, quæ etiam nolentibus oſtendunt, quo loco Chriſtiani Romanos Pontifices à Chriſto in hanc ætatem habuerint. Sed hæc delibata ſolummodo litterarum munimenta ſat patenter fidem faciunt de impenſiori eorum in Apoſtolicæ Sedis vindicias ſtudio, cui ſe pridem addixerant, quando an. 1448. ad ipſos, ut eximios præ cæteris Pontificiæ authoritatis Defenſores, à Nicolao V. Eugenii IV. Succeſſore, miſſo Oratori Palatii ſui Magiſtro Henrico Caltyſer S. Th. Prof. inter reliqua id poſtremum declararunt, teſte Valerio Andrea in Faſtorum Academicorum ſyllaloge. " Quod univerſitas ſe ſemper concorditer habuit, habet, & deinceps inviolabiliter habere proponit, circa obedientiam Sedis Apoſtolicæ, reſpectu dicti D. Nicolai, ejuſque Prædeceſſoris Eugenii IV. firmitatem, nullâ oppoſitâ contradicentium ſibi aliàs à Concilio Baſileenſi ſolemniter miſſorum perſuaſione averti poſſibilem, & ita invincibiliter per ſua ſcripta, & oportuna dicta, ac ſana dogmata conſtanter defenſam & defendendam".

Quemadmodum etiam egregiis operibus, ut vidimus, comprobarunt memorati Doctores Theologi, jugiter prædicantes ac inculcantes reverentiam ac obedientiam erga Petri Succeſſorem, Romanæ Sedis ac Eccleſiæ Præſulem; agi ſiquidem de ſumma rei Chriſtianæ, cum de infallibili, ſupremaque Pontificis in Univerſam Eccleſiam authoritate agitur. Atque adeo non ſuſtinent Monarchicum illius ſuper omnem fidelium multitudinem abſque ullius prorſus exemptione Principatum à quopiam libari, aut circumſcribi. Suſcipiunt & ſuſpiciunt Apoſtolicæ Cathedræ Statuta, non ſecus ac ipſius D. Petri ore (utpote à Petri Succeſsore) prolata oracula. Quod Hic probaverit; ultro comprobant. Quidquid ipſe expungi juſserit, expungunt & illi. Articulos, quos in Baio dudum proſcripſerunt Pius V. Gregorius XIV. & Urbanus VIII. in proſcriptis habent & illi. Paradigmata quinque, ex Corn. Janſenii libro decerpta, quæ non ita pridem damnarunt Innocentius X. & Alexander VII. condemnatis accenſeri non modò conſentiunt; inſuper

&

& Candidatorum ſingulos præſtito juramento condemnationi ſubſcribere volunt. In dubiis exoticiſve quæſtionibus, Apoſtolicæ Sedis judicium ducunt conſulendum, Magni P. Auguſtini veſtigia legentes, qui lib. 1. ad Bonif. Papam cum ſcriptis ſuis recurrens ait: *Hæc, quæ duabus epiſtolis Pelagianorum iſta diſputatione reſpondeo, ad ſuam potiſſimùm dirigere Sanctitatem, non tam diſcenda, quam examinanda, & (ubi forſitan aliquid diſplicuerit) emendanda, conſtitui.* Quam ob cauſam ablegatis nuperrimè Romam versùs duobus è ſuo gremio Doctoribus, Innocentii XI. moderni Pontificis Maximi ſententiam ſuper totis 65. paradoxis exquiſierunt, eorumque dignam retulere cenſuram. Simul & ſuam tunc, *ſuper quibuſdam Articulis de S. Scriptura, Gratia, & Prædeſtinatione, anno Dom.* 1586. *Lovanii. ſcripto traditis, Cenſuræq; juſtificationem contra Aſſertiones quaſdam Profeſſorum ibid. &c. juſſu Reverendiſſ. & Illuſtriſſ. Belgii Epiſcoporum editam ejuſdem ſæculi an.* 88. Recuſam, deinde Pariſiis an. 1641. unà cum Theologicæ Facultatis Duacenæ cenſura, Apoſtolico judicio ſubmiſerunt, talibus officiis Urbi, & Orbi palam probantes, ſe Romanum Pontificem ſemper, in Patrem, in Paſtorem, in veritatis, morumque Magiſtrum, in Eccleſiæ Caput, in omnis doctrinæ judicem infallibilem habere, & colere.

Nec à tantis diſcordat ſchola Magiſtris, diſcens & docens, adorandum eſſe Fidelibus cunctis Divinæ Providentiæ conſilium, Chriſti Domini inſtitutione patefactum, de præficiendo pro ſe in terris Uno Eccleſiæ ſuæ Capite, ut confuſionis, & ſchiſmatis in perpetuum tollatur occaſio: quod aiebat Hieronymus. Diſceptent Epiſcopi, contendant Paſtores, in partes trahantur Synodi quæcumque, diſcrepent & Præſides: quæ, & quantæ in Eccleſia turbæ, jurgia, rixæ, niſi Supremi alicujus Antiſtitis authoritate, & judicio componantur? Quem porro in controverſiis illis, quæ extra Concilii tempus erunt, Paſtores conſulant? In cujus ſententiam Eccleſiæ membra conſentiant? Quod ipſi Epiſcopi tametſi Synodaliter coacti non poſſint errare, experientiæ veritate refellitur.

Reſtat, ut cum Paſtoribus errare poſſint greges, ſi extra Concilii tempus aliquid dubium in fidei rebus inciderit, & diviſa à ſeipſa Eccleſia, ex variorum Epiſcoporum ſenſu varia quoque huc illuc pronuntiet, niſi in Præſulem omnes reſpiciant, qui unus unius

nius gregis Paſtor totum gregem contineat, dirigat, inſtruat. Ab illo uno expectandum, accipiendumque, quid tenere, quid reſpuere debeamus, ſive quando ad quæſtiones dirimendas, vel dubia reſolvenda, œcumenicis Conciliis per ſe, ſuoſve præſidens, legem dicit, definienda præformat, Synodalium decretorum utitur miniſterio, Conciliorum omnium unus ipſe Superior, & Caput, quæ ne ipſa quidem ſine ejus confirmatione in tuto ſunt: ſive per ſemet-ipſum, extra omnem Synodum definiat; cunctarum in in iſta materia diſceptationum legitimus divinâ Ordinatione Judex, utrobique infallibilis & firmus, adeoque irreformabilis ſemper ac irretractabilis: & ut ſit, nullo Eccleſiæ eget conſenſu. Quin è contra ejus ductu, & obtutu ipſa omnino opus habet, ut errores evadat, ac inoffenſo pede ad eum rectà perveniat, qui ſe dixit, *Viam, Veritatem, & Vitam.* Quid enim? ſine ovium nutu, ac placito errare & falli queat, cui uni concreditæ ſunt *Claves regni cœlorum?* Super quem *ædificata Eccleſia?* Cujus unius, *non deficiet fides?* Qui unus eſt juſsus *confirmare fratres, paſcere oves & agnos?* Certa ſit hæc pro dictorum coronide regula. Romani Pontificis vox audienda univerſis, ſi ſalvi eſse velint, ſuprema agnoſcenda authoritas, colenda dignitas, non imminuenda poteſtas, qui Chriſti vocem audire amant, inſtitutionem venerantur, Eccleſiam honorant, ac prædicant, ut ſint *ex ovibus* ejus. *Verùm*, (queritur Epiſt. 89. Leo tam Sanctus, quàm Magnus, Viennenſis Provinciæ Epiſcopis ſcribens) *hanc petræ iſtius ſacratiſſimam firmitatem, Deo (ut diximus) ædificante conſtructam, nimis impiâ vult præſumptione violare, quiſquis ejus poteſtatem tentat infringere, favendo cupiditatibus ſuis, & id, quod accepit à veteribus, non ſequendo: cùm nulli ſe ſubditum legi, nullis inſtitutionis Dominicæ credit regulis contineri.*

FINIS.